FRANCISCI ANTONII VIVOLI NEAPOLITANI

IN ALMO GYMNASIO NEAP. LIBROS TOPICORVM ORDINARIE,

AC IN SACRO SEMINARIO POSTERIORA ANALYTICA PROFITENTIS

QVÆSITVM, AN SINGVLARE SVBSTANTIÆ naturaliter,& per ſe de ſe ipſo,an de alio ſubiecto prædicetur,Logicis omnibus perneceſſarium.

AD ILLVSTRISSIMVM ATQVE REVERENDISS. MARIVM CARAFAM Neapolitanorum Archiepiſcopum digniſsimum.



NEAPOLI

Apud Io. Franciſcum Scaleonem & Socios.

M D LXXIII.

IO. FRANCISCI LOMBARDI NEAPOLITANI sacræ Theol. Doct. de doctiss. VIVOLI etymologia ad Lectorem.



HEXASTICHON.

Carpit ARISTOTELES dum viuo mortuus auras
Vitæ, alter Zephyrus VIVOLVS esse potest.
Flatibus his Zephyri recreantur membra calore
Vsta, & AVERROICIS torrida facta notis.
Huc ergo accedat Logices studiosa iuuentus,
Vt Viui Viuat Viuida Vere. Vale.

ILLVSTRISSIMO, ATQVE REVERENDISSIMO MARIO CARAFAE NEAP. ARCHIEPISCOPO DIGNISSIMO.

Franciscus Antonius Viuolus Neap. æternam felicitatem.



OGITANTI mihi, Antistes optime, quæ sit inter Illustres Patriæ nostræ familias aliis illustrior, tua se statim obtulit, quæ qui dem cæteris omnibus quodam suo iure debeat anteferri. Nulla enim hac in urbe antiquior, nulla opibus potentior, nulla pluribus, dignioribusque titulis ornatior est, nulla denique tot uiros optimis, quibusque disciplinis præditos potest obstentare: quot gens tua domi, ac militię clarissima, antiquitate, opulẽtia, imperiis, bonis artibus illustrata, suis regibus, & pontificibus optimis ob singularem fidem, ac pietatem semper in oculis habita, atque adeò meritis, dignitatibus exornata: quibus ornamentis effectũ esse, ut orbe terrarũ toto Carafidum genus fuerit, futurumque sit omni ætate celeberrimum, dubitare nemo potest. Cùm præterea ad uerterem, quis in ciuitate nostra potissimum existeret, ex quo recte, beatèque uiuendi exemplum peteretur. Tu ex omnibus unus, Tu inquam, Mari uir tutum omnium mare apparuisti, qui excelso, illustrique loco positus tam piè, tam sanctè tot iam annos uiuis, ut ciues nostri uniuersi talem te intuentes, admirantesque pleno quidem ore prædicent, obseruent, colant, maioremque tibi dignitatem, & potentiam sperent, atque optent. Tu corporis bona moderaris summa temperantia, fortunæ commoda distribuis mira beneficia, uniuersum Diocesim gubernas incomparabili uigilia, prudentia, clementiaque. Tu summis honoribus templa ornasti, multa loca restituisti, multa construxisti. Vitæ uerò morumque sanctitate non homines religiosos modo, & sacerdotes imitatione tui, sed ciues planè omnes optimis institutis ad ueram religionem, ho mo religiosissimus, ad uerumque DEI optimi maximi cultum, cultor integerrimus re uocasti, atque confirmasti. Sed ne uirtutes tuas ingenii mei exiguitate imminuem, obscu remque, præclaris eas ingeniis enumerandas, & extollendas relinquo. Vnum tamẽn illud præterire nec possum, nec debeo, nullis parentibus tantæ curæ suos liberos unquam fuisse, quantæ tibi est tuum istud sacrum sanctæ religionis Seminarium. Etenim nullis sumptibus parcis, nullis animi laboribus defatigaris, quò summæ expectationis plurimæ illæ, felicesque plantæ in unum collatę summa cura, diligentiaque excolantur, & educantur, atque ab omni frigoris, & æstus iniuria defensæ quàm primum coalescant, ac non solum suauitatis odorem, oblectissimos flores, sed maximam quoque utilitatem ob fructus terræ, cæloque iucundissimos, gratissimosque afferant: tum demũ in uineam illam Domini translatæ tanta cum ubertate producant, & copia, ut inopiam uineæ cultores nullo tempore pertimescant. Nihil est quod sperent uineæ insidiatores, ac uastores eas posse attingere. O præclarissimum opus? quis non uidet quantum in prauas sectas propugnaculum paretur? quanta gloria ad Christianam religionem inde sit accessura? hoc opere profectò (etiam si maiora non essent) crede mihi, nomen tuum ęquabit æternitatem: laudes tuæ magis, magisque in dies celebrabuntur. Postremò quoniam in ea me sancta Academia (sic debeo appellare) differendi artem, ac philosophiã interpretari, ac profiteri uoluisti, summa ope nitar (idque in tuæ spem gratiæ) ut illi optimæ iuuentuti non nihil adiumenti uidear attulisse. Quare ut, quod polliceor scriptis etiam præstare incipiam, hoc opusculum, qualecunque sit, ad eius Academiæ usum, & utilitatem editum tibi, Antistes integerrime, dono, & consecro, maiora, atque illustriora, illo tamen aspirante è quo cœlum, & tota natura dependet, posthac editurus, atque si gratum hoc fuisse cognouero, donaturus interea me in eorum numero, qui tui sunt amantiores, atque obsequentiores habitum iri spero, & opto: quod non dubito pro tua humanitate futurum, præsertim si quodam meum consilium, si quandam aliam uitæ meæ agendæ rationem Deus approbauerit. Vale tui generis, & patriæ nostræ decus.

FRANCISCI ANTONII VIVOLI NEAPOLITANI QVÆSITVM, AN SINGVLARE PRÆDICETVR.

PRAEFATIO.



ERSPICACISSIMVS ille naturæ uestigator Aristoteles in 4. meteor.28.nec non 2.phy.22.79.artem imitari naturam, memoriç proditum reliquit,& cum in natura admirabilis reperiatur ordo,ueluti 8.phy. 15.testatur [Nihil eorum, quæ natura constant, inordinatum est] & 3.cæli.24.[ordo est propria natura sensibilium] quemadmodum igitur in natura requiritur ordo, sic & in arte: ut protulit Auer.1.post.41.56. & 2.post.94.& in 4.quæsito post. ac demum 1. cæli.2.tunc artes,& sciẽtiæ sunt ueræ, cum insequuntur opus naturæ. Hinc est, quòd cum Galenus quartam dari figuram protulerit:merito ab Auer.1.priorum.cap.7.obiurgatus fuit, cùm naturæ ordinem minimæ insequutus fuerit. Cum igitur in omnibus entibus ordo reperiatur, 12.met.52.ac 2.de gene.& corrup.57, propterea rationi consonum esse duxi, cum ut periti artificis munere fungar, tum etiam ut Arist. & Auer. ac denique naturæ dogmata sequar, ut ordo ipse in hoc quæsito pro duce habeatur: cum ordo (ut Cicero 2. de Oratore affirmat) sit, qui memoriæ maximè lumen affert, ordo enim confusionem aufert, & rebus explicandis plurimum conducit, & (ut sapientissimus asserit Plato) ab eo, qui ordine caret, præstat non discere. Quocirca in præsenti quæsito, ut clarius, & magis distinctè uera Philosophi percipiatur sententia, hunc sequar ordinem. Primo quæsiti titulum enucleabo. Secundo aliorum positiones cum earum confutationibus afferam. Tertio ueram Arist. & Auer. opinionem cum demonstratiuis rationibus dilucidabo. Quarto, & ultimò aduersariorum rationes eradicabo.

IN QVO QVAESITI TITVLVS declaratur. Cap. I.



Voniam notitia quid nominis est principium, caput, fons,& origo omnis nostræ cognitionis,dilucidißimo referente Themistio 1.post. cap.1. & 2.post.cap.9. Quicunque ad aliquam intellectualem doctrinam, aut disciplinam accedunt, necesse est, ut principia quædam naturalia teneant,unde aliquid de ijs, quorum amplexuri scientiam sunt,prænoscãt. Non enim omnia accipere possumus à docente, sed aliqua sunt, quæ quasi suppetias ad discendum,domo afferre oportet,sine quibus aditum frustra in scholas ferimus. Confirmatio. *quòd ratione etiam manifestatur. Arist.enim 7.met.23.3. ethic.cap.6.finis in arte est præcognoscendus,sed cognitio quæsiti est finis doctrinæ in arte, ergo quæsitum, quod queritur,debet præcognosci præcognitione quid nominis,quæ dicitur dirigens confusa, non distincta: quia facit confusam rei cognitionem, ut ait Auer.1.post.79.quę omnia Arist. firmauit 1.post.1.2. post.101.1.met.48.& 6. top. in primo loco definitionis. denique 6. ethic. cap.4. [omnis doctrina, omnisque disciplina intellectiua ex præexistente fit cognitione] Primum ergo, quod declarandum occurrit est ille primus terminus scilicet, quod est singulare, uerum antequàm ad ipsius declarationem descendam præceptũ Arist.imitabor 1.cæli.110.[si quis eo, quod multipliciter diuiditur, tanquam indiuisibili utatur: necesse est, intellectum indeterminate se habere] idest omne nomen æquiuocum, & multiplex si in sua significata non distinguitur,dubius, atque confusus reddetur intellectus: ac etiam 1. elenchorũ.dixit [qui nominum uirtutis sunt ignari paralogizzant] & in 2.top.loco 7.& 8.asserebat.[Diuidere quod multipliciter utile]& Auer. 7.met. 36.4. phy.24. [Artifex demonstratiuus distinguit nomina æquiuoca] 1. post. 33.[expedit docenti per nomen æquiuocum, quòd diuidat nomen æquiuocum in sua significata: & dirigat ad significatum, de quo intendit sermonem habere] & 3. de anima. 20. [non est recte uti in doctrina uerbis æquiuocis] aßignans cãm in 4.met.2. dixit [quoniã ars non considerat de æquiuoco] sed quoniã singulare est nomẽ multiplex,merito uenit a nobis diuidendum, ut deinde su-*

de sumamus illud significatum, de quo erit nostra disputatio: & ut demonstratoris officio fungamur, semper sequentes Arist. peritiam, & ne ab ipso condemnandi ueniamus ueluti antiqui, ut Parmenides, & Melissus, qui propter logicæ ignorantiam & distinguere nescientes, sed multiplici pro simplici utentes, ut testis est Arist. 1. physic. 72. [quærentes enim Philosophi primi ueritatem, & naturam entium conuersi sunt ueluti in uiā quandam aliā, depulsi ob inexperientiā] subdit Auer. in com. 73. dicens [& locus deceptionis istorum hominum est, quia utuntur eo, quod dicitur multipliciter uno modo, & sic mixtum est eis uerum cum falso] Nos autem non ut antiqui, & sine artis peritia, sed semper methodum Arist. insectantes, ut & determinatè, & demonstratiuè quæsiti ueritatem inuestigemus. Primo (ut dictum est) singulare ipsum in ea significata, in qua uenit diuidendum diuidemus, quo diuiso determinabimus de quo nam significato loqui intendimus, & sic nil dicemus, quod non sit methodice cū artis peritia, & peripatetice dictum.

Dubitatio.

¶ Sed dices, quare oportet antequam aliquod nomen definiatur, & determinetur, ut prius diuidatur in sua significata?

Solutio.

¶ Soluitur, uerum est notandum illud Arist. 1. cæli. 96. ubi declarans quid sit cælum, sic ait; [Dicamus autem primum quid dicimus esse cælum, & quotupliciter] reddens causam, cur cælū debet diuidi, dicit [ut magis nobis manifestum fiat quod quæritur] similiter ergo oportet, ut nos uideamus quotupliciter dicitur singulare, ut quod quæritur fiat nobis magis manifestum.

Confirmatio.

¶ Quod confirmat Arist. 2. top. in 7. & 8. locis, ubi ait [si autem non lateat, quod multipliciter dicitur, diuidendum quotupliciter dicitur, diuidere autem quotupliciter utile] quo ergo peracto, quæremus quid nam sit singulare iuxta Ar. sententiam 2. post. 2. 39. & 40. 7. met. 59. [impossibile est enim scire quid est, ignorantes si est]

Quot modis dicatur singulare.

Apud ergo peripateticos singulare sumitur multis in modis, & primo modo ut est minus uniuersale, ueluti est species, ut homo: quo modo sumpsit Arist. 2. post. 82. ubi ait [quapropter a singularibus ad uniuersalia transire] a singularibus, idest a minus uniuersalibus, idest a speciebus oportet transire ad uniuersalia, idest ad magis uniuersalia, quæ sunt genera: hoc met modo in prædicam. cap. de quali. ubi dicebat [Pene enim in omnibus qualitatibus genera ad aliquid dicuntur; nihil autem eorum, quæ sunt singularia] Secundo modo dicitur singulare, seu indiuiduum nominatum, ut Marius, Ferdinandus, & dicitur nominatum, quia nomine proprio nominatur, ut Federicus, Detius. Alio modo dicitur singulare signatum cum pronomine hic, uel hæc, uel hoc, ut hic Archiepiscopus, hæc iustitia, hoc templum, & notanter dicitur signatum, quia demonstratur hoc pronomine hic, hæc, hoc. Alio modo dicitur singulare, uel indiuiduum uagum, ut aliquis cardinalis, de quo meminit Arist. in prædicam. cap. de substantia. & nota, quod ideo dicitur uagum, quia multis indifferenter competere potest. Alio modo dicitur singulare, seu indiuiduum circumloquutum, ut Sophronisci filius, sed scias, quod indiuiduum circumloquutum non est uere indiuiduum, & per se, sed per accidens, causa uero, propter quam dicitur circumloquutum, est, quia circumscriptione signatur. Amplius singulare duobus modis reperitur, alterum substantiæ, alterum uero accidentis, ut ait Arist. in ante prædicam. cap. 2. & Auer. in epit. log. cap. de uniuersali, & 7. met. 2. 1. post. 33. clarius tamen in libro, de insomniis. cap. penultimo. ubi asserit; Dicamus igitur, quod res factæ quædam sunt indiuidua substantiarum, & quædam indiuidua accidentium. Sed nota, quod inter indiuidua substantiæ quædam sunt indiuidua substantiarum simplicium scilicet partes elementorum, & quędam sunt indiuidua substantiarum compositarum, rursus indiuidua substantiarum compositarum sunt in duplici differentia, quædam sunt habentia animas, sicut animalia, & uegetabilia, & quædam non habentia animas, sicut sunt mineræ, & sibi similia: indiuiduorum accidentium quædam sunt accidentia existentia in indiuiduis substantiarum simplicium, & quædam sunt accidentia existentia in indiuiduis compositorum, aut in habentibus animas, aut in carentibus eis, & uterque istorum modorum aut est per naturam, aut per uoluntatem; hæc sunt uerba Auer. Rursus singulare secundum peripateticos est duplex, quoddam est corruptibile quod nunc est, nunc non est, ut Callias, quoddam uero est æternum, æterno, & sempiterno tempore manens, ut Mundus, Cælum, Sol, Luna, Phenix, & Terra. Multa quoque ipsius singularis essent recensenda significata, quæ breuitatis studio silentio pertransire noluimus. Illud autem non ignorandum est, quod disputatio nostra erit tantum de singulari, uel indiuiduo substantiæ nominato, ut est Plato, Arist. & Auer. an prædicetur de subiecto per se naturaliter, uel per accidens, & innaturaliter: & quoniam quæsita simplicia inter se hunc habent ordinem, teste Arist. 2. post. 1. 2. 3. scilicet primo est quæsitum,

Ordo quæsitorum.

si est, deinde quid est, ut quęrentes quid, idest definitionē hominis, oportet prius habere si est hominis, quo quæsito, si est, habito, tunc quærimus quid est, quod clarissime reliquit Arist. 2. post. 39. & 40. sic asserēs [impossibile est scire quid est, ignorantes si est] ac 7. met. 59. [quærere autem quid est, non habentes quod est, nihil quęrere est] quod confirmans Auer. 2. post. 32. ait; nam quod non est,

est, nemo scit quid sit, idest ꝙ id, quod est ignotum esse, aut penitus non est, nemo potest illius definitionem scire: dans exemplnm Auer. dicit; uerbi gratia, quia hircoceruus ex quo non est: impossibile est, quod enuncietur eius definitio. Definitio.n. est rei quæ est, & similiter si esset, & ipsnm esse esset nobis ignotum, impossibile esset, ꝙ eius definitio sciatur, prius quàm sciatur ipsum esse. hæc sunt uerba Auer. notanda quidem. Cum igitur superius de singnlaris existentia determinatum fuerit, consonum est modo, ut eius quid, seu definitionē tradamus, regulam Arist. seruantes, ac etiam ex quibus constat, & componitur. Et primo dicimus ex Arist. 7. met. 35. & ex Auer. in libro, destructio destructionum. in dispn. 1. in sol. 7. dubij, & 12. met. 14. ꝙ singulare est illud, quod constat ex hac forma, & materia nltima, sed est notandū, ꝙ hæc dno, ex quibus singnlare componitur, scilicet materia, & forma 1. phy. 64. 65. necessario requiruntur ad hoc ut aliquid sit singulare, & uere indiuidnnm: tamen nnum est principale, & aliud secundarinm: Principale principium est materia, teste Auer. in libro, destructio destructionum. in disp. 1. in sol. 7. dubij. Secundariū principinm est collectio proprietatum, utpote determinata quantitas, determinata qualitas, esse in hoc tempore, esse in hoc loco, & esse ex hac forma, in hac materia, & hoc secnndarium principiū tetigit Porphyrius in cap. de specie, in descriptione indiuidui, quando dicebat [Indiuidna autem dicnntur huiusmodi, quoniam ex proprietatibus consistit nnumqnodque eorum, quarum collectio nnnqnam in alio eadem erit] & de hoc secnndario principio indiuiduationis meminit Arist. 7. met. 35. 1. cæli. 92. 95. ex quibus ergo concludimus, ꝙ singulare est illnd quod constat ex hac forma, & materia: uerum est sciendum, ꝙ cnm singulare ipsum duas habeat partes scilicet materiā, & formam: per formam habet esse nniuersale, & commune cum alijs indiuiduis, quoniam ipsa est subiectum nniuersalitatis, ut ait Auer. 1. cæli. 92. per qnam qnoque formam ipsnm singulare habet esse actuale, in actu existit. 2. de anima. 2. 25. & 7. met. 34. 12. met. 14. nbi Arist. diuidens substantiam qnot modis dicatnr, sic ait; substantia dicitur tribus modis, uno modo sicut materia, quæ secnndum se quidem non est hoc aliquid; Alio modo dicitur substantia forma, & species secundnm quam iam dicitur hoc aliquid. Tertio modo ex his compositum: clare igitur patet, ꝙ compositum est hoc aliqnid in actn per formam, de ratione cuius est dare esse ipsi composito singulari indiuiduo, ut ait Arist. 7. met. 60. & 8. met. 5. [causa materiæ quæritur, hæc autem est forma, qua aliquid est] qnod clarius Auer. 7. met. 37. forma enim est pars, qnæ cum fuerit, est res: materia uero est illud, quod cum fuerit, non erit res, ac 8. met. 12. & 2. post. 48. 8. met. 12. causa quæ est secnndū formam, quæ dat quiditatem rei, per quam est. 1. phy. 68. 2. phy. 30. Arist. [sufficiens enim erit alterum contrariorum absentia, & præsentia facere mutationē] per materiā uero habet esse actuale secundariò, ut liquet ex Auer. in libro, destructio destructionum. in disp. 1. in sol. 7. dubij. ubi asserit, ꝙ materia est causa pluralitatis, seu numeralitatis apud philosophos, & causa conuenientiæ in multitudine numerali est forma, ut etiam colligitur ex 12. met. 49. ac 7. met. 28. 1. met. 40. ex quibus hoc sequitur notandum, ꝙ sicut singulare habet duplex esse scilicet esse uniuersale cōmune per formam primò, & esse particulare secundariò per materiam, sic quoqne habetur duplex cognitio de ipso scilicet in uniuersali ratione formæ, & in particnlari ratione materiæ: ex quibus potest defendi hæc conclusio, ꝙ de singularibus habetur scientia tamen in uniuersali ratione formę, nō in particulari ratione materiæ, teste Arist. 7. met. 35. 53. 12. met. cap. 1. nbi asserit [Horum inqnam (adde tu singularium) non est definitio, sed intellectione, aut sensu cognoscūtur, cùm uerò habeant ab actu non est manifestum utrum sint aliquando, an non sint: Tamen semper dicuntur, & cognoscuntur uniuersali ratione] & scias, ꝙ Arist. de hoc singulari loquitur in 7. met. 35. 53. & 1. post. 62. quando ait [Propterea etiam substantiarum sensibilium singularium neque definitio, neque demonstratio est] dans causam, inquit [eo ꝙ habēt materiā, cuius natura talis est, ut esse, & non esse contingat. quarè corruptibilia sunt omnia singnlaria earū. Si igitur demonstratio, & definitio sciētifica necessariorū est, & nō cōtingit, sicuti neq; scientiā, quandoq; sciētiā, quandoq; ignorātiā esse, sed quod tale est opinio est, ita neq; demonstrationē, neq; definitionē, sed opinio est eius, qnod contingit, & aliter se habere: patet ꝙ neque demonstratio, neque definitio eorum est. corruptibilia nanque non sunt manifesta his, qui scientiam habent, cùm a sensn abscesserint, & rationibus eisdem in animo seruatis, nō erit amplius neque definitio, neq; demōstratio] meminit quoq; Arist. de hoc singnlari 2. de anim. 60. 1. phy. 49. [singularium secundum actum sensus est, scientia uerò est uniuersalium] & 7. met. 57. ubi inquit sic [quare patet, ꝙ nihil uniuersalium separatim præter singnlaria est] ac etiam 1. post. 3. & 7. ethic. cap. 5. [singnlarium sensus prędominatnr] 1. met. in prologo, cap. 1. [Causa uerò est, ꝙ experientia singularium, ars autem nniuersalium cognitio est. actiones autem, ac generationes omnes circa singulare sunt. non enim hominem, nisi per accidens sanat qui medetur, sed Calliam, aut Socratem, aut alium quempiam eorum, qui sic dicuntur,

cuntur, cui accidit hominem eſſe. Si quis itaque ra
tionem abſque experientia teneat, & uniuerſale
quidem cognoſcat, quod autem ſub eo particulare
eſt ignoret, ſæpenumero errabit a ſanando. id. n.
magis ſanabile eſt, quod ſingulare eſt] & 1. poſt.
1. [iſtæ uerò monſtrantes uniuerſale per id quod
manifeſtum eſt ſingulare] uerùm etiam 6. ethic.
cap. 13. ait [ex ſingularibus enim uniuerſale eſt]
1. poſt. 4. 33. & 1. periher. cap. 5. & in ante
prædicamentis. cap. 3. & in cap. de ſubſtantia.
[ſingulare de nullo ſubiecto dicitur] 12. met. 18.
[homo nanque hominem generat, ſingularis ali-
quem] habitis ergo, ac inueſtigatis duobus quæſi
tis de ſingulari nempè ſi eſt, et quid eſt, et quibuſ-
dam locis Ariſt. recitatis, in quibus mentio fit de
tali ſingulari, oportunum modo eſt, ut quęſtionis
principium aggrediamur.

IN QVO ALIORVM SCRI-
buntur opiniones. Cap. II.

Porphyrij poſitio. Orphyrius in ſuo libello, cap. de ge-
nere, faciens diuiſionem prædica-
torum, ſic ait [eorum enim quæ prę
dicantur alia quidem de uno dicun
tur ſolo ſicut indiuidua, ut Socrates. Alia uerò de
pluribus quemadmodum genera, & ſpecies] hāc
Confirmatio. met ſententiam firmat cap. de ſpecie. dum inquit
[indiuiduum autem de uno ſolo particulari] ex
quibus clarè patet indiuiduum de uno ſolo. i. de ſe
ipſo prædicari, & ut non nulli exponunt expoſito
res, prędicatur per ſe, non per accidens de ſe ipſo.
poſt Porphyriū ſequitur diuus Thomas in 7. met.
in tex. 7. exponēs uerba Ar. quæ ſunt hæc [ſubie
ctum autem eſt de quo cætera dicuntur, illud uerò
non amplius de alio] dicit, quòd per ſubiectum
Ar. intelligit ſingulare ſubſtantiæ, ut ſortes, quod
ſingulare non prædicatur de alio ſubiecto per ſe,
ſed nihil prohibet ut prædicetur de alio ſubiecto
per accidens, ſed ſingulare ſubſtantiæ de ſe ipſo
prædicatur per ſe, ut cum dicitur, ſortes eſt ſortes,
in hac propoſitione ſortes prædicatur de ſorte, tan
quàm de ſe ipſo per ſe, & non per accidens unde
Corroboratio opinionis porph. & diui Thomę. clarius ergo uidetur diuum Thomam eſſe eiuſdē
opinionis, quam Porphyrius inſectatur. Nos au-
tem hanc opinionem corroborantes nonnullis ute
1. Ratio. mur rationibus, & prima ſit iſta. ¶ Illud quod
competit alicui per definitionem ſuam per ſe com
petit illi 1. poſt. 30. ſed per definitionem ſingula
ris ſibi cōpetit, quòd prædicetur, ergo per ſe præ-
dicatur, minor probatur ex Auer. in epit. log. ca.
de rebus agentibus formationem. ubi definiens
ſingulare, ſic dicit; Verumtamen ſingulare eſt id,
quod impoßibile eſt ex ſubſtātia formationis eius,
ꝙ prędicetur de pluſquàm ſingulari uno. pulchra
2. Ratio. quidem ratio. ¶ Amplius illa quæ ſunt per ſe de
ſubiecto per ſe prædicantur. 1. poſt. 30. at ſingu-
laria ſunt per ſe 1. poſt. 33. ergo ſingularia per
ſe prædicantur. ¶ Præterea illa quæ ſunt ſecun- 3. Ratio.
dum quod ipſum per ſe prædicantur 1. poſt. 36.
37. ſed ſingularia, ut dicit Auer. in epit. met. tra
ctatu 1. cap. de eſſentia. ſunt ſecundū quod ipſum,
ergo ſingularia per ſe prædicantur. ¶ Vltra illa 4. Ratio.
quæ intenduntur per demonſtrationem, nulli du
bium eſt, ꝙ ingrediuntur demonſtrationem, ſed
ſingularia 1. poſt. 33. Auer. intenduntur per de-
monſtrationem, ergo ſingularia ingrediuntur de-
monſtrationē, ſed ea quæ ingrediuntur demonſtra
tionem per ſe prædicatur in primo, & in ſecundo
modo dicendi per ſe 1. poſt. 35. 36. Ariſt. ergo
nulli dubium fore exiſtimo ſingularia ipſa per ſe
prædicari. ¶ Rurſus definitio 1. poſt. 30. Ariſt. 5. Ratio.
& Auer. in cap. de demon. 7. met. 11. per ſe præ
dicatur de ſuo definito, ſed definitio, & definitum
7. met. 40. ſunt idem, ergo idem neceſſariò, &
per ſe prædicatur de ſe ipſo. ¶ Amplius, & ua 6. Ratio.
lidius illud quod recipit definitionem alicuius ne
ceſſario eſt illud, ut patet in prædicam. cap. de qua
litate. ubi inquit Ariſt. [Quæ enim definitionem
trianguli recipiunt, & circuli omnia ſimiliter triā
guli, & circuli ſunt] ſed ſingulare recipit defini
tionem generis, ut dicit Ariſt. in prædicam. cap.
de ſubſtantia, quando dicit [& rationem quoque
ſuſcipiunt primæ ſubſtantiæ ſpecierum, & gene-
rum] ergo ſingulare eſt genus, ſed genus 1. poſt.
30. & 7. met. 11. & in cap. de demon. Auer. per
ſe prædicatur, ergo ſingulare per ſe prædicatur.
¶ Præterea forma eſt innata per ſe prædicari 1. 7. Ratio.
poſt. 30. quia eſt differentia, ſed ſingulare eſt for
ma 7. met. 23. 35. 39. Ariſt. ubi ait ſic [formam
autem dico ipſum quod quid erat eſſe, & primam
ſubſtantiam] ſed prima ſubſtantia eſt ſingularis,
ergo ſingulare per ſe prædicatur. ¶ Amplius 8. Ratio.
Ariſt. 1. top. cap. 7. clare aſſerit, idem prędicari
de ſe ipſo, dum inquit [unumquodque talium ſi-
ue idem de ſe ipſo, ſiue genus dicatur quid eſt ſi-
gnificat] quid ergo clarius pro hac opinione.
¶ Amplius & fortius Ariſt. 2. perihermenyas, 9. Ratio.
in fine inquit, quòd iſta propoſitio, Bonum eſt bo
num, eſt uera per ſe, ergo idem per ſe prædica-
tur de ſe ipſo. ¶ Præterea Ariſt. 5. met. 23. in- 10. Ratio.
quit [Attamen homo ſecundum ſe eſt homo] in
qua propoſitione idem per ſe de ſe ipſo prædica-
tur. ¶ Vltimo utamur Boæthi authoritate dicen- 11. Ratio.
tis, quòd nulla eſt uerior propoſitio, quam illa, in
qua idem de ſe ipſo prædicatur, ex his ergo ra-
tionibus, atque authoritatibus omni perito clarum
fore relinquimus ſingulare ipſum per ſe prædi-
cari.

IN QVO PORPHYRII POSITIO impugnatur. Cap. III.


Ententia est Arist. 2. cæli. 34. [Non iustū est omnes increpare, sed oportet uidere causam dicendi] quod in libro de iuuentute, et senectute cap. 4. confirmans dixit [non licet absentes inaniter accusare] cùm igitur Porphyrium a ueritate alienū perspexerimus iusta causa freti euidētissimis authoritatibus, ac demonstratiuis rationibus contra ipsum insurgere decreuimus, et Primo cōtra Porphyrium, Secundo contra diuum Thomam nostræ rationes locum habebunt. Quantum igitur Porphyrij positio ab Arist. doctrina abhorreat ex ipsius met philosophi uerbis in prædicam. cap. de substantia, perspicuum est. ubi ait [a prima namq; substantia nulla est prædicatio, de nullo enim subiecto dicitur] clarissimè tamen 7. met. 7. in libro, de longitudine, & breuitate uitæ. cap. 2. 1. phy. 62. 1. post. 4. 33. in ante prædicamentis cap. 3. nec non in 1. priorum. cap. 23. resolute scripsit dicens [quòd igitur entium quædam de nullo apta nata sunt dici manifestum, fermè enim sensibilium unumquodque tale est, ut de nullo prædicetur.] ¶ Dices omnes præallegatas authoritates nil concludere cōtra Porphyrium, nam ipse tenet, ꝙ singulare non prædicatur de alio subiecto, sed bene prædicatur de se ipso, sed audias quæso rationes, singulare nec de se ipso prædicari. Arist. 1. priorum cap. 1. definiens terminum, inquit [terminum autem uoco, in quem resoluitur propositio, ut in subiectum, & prædicatum] & nota ꝙ ly, & tenetur disiunctiuè disiungit prædicatū a subiecto, idest ꝙ illud, quod est prædicatum, non est subiectum, ut homo est animal, si uerò id: quod imaginatur Porphyrius scilicet quod idē prædicatur de se ipso, ut fortes est fortes esset uerū, tūc idē esset subiectum, & prædicatum: quod quantū sit contra Aristotelem præ oculis habes, & quod peius sequeretur, propositio fieret ex uno tantum termino, hoc impossibile: deleatur ergo opinio Porphyrij.

1. Ratio. Contra Porphy.

2. Ratio. ¶ Amplius illud, quod est in fine abominationis, & non deseruit arti, non est ob arte concedendū, sed propositio, in qua idem prædicatur de se ipso, est in fine abominationis ut patet ex Au. 1. priorū cap. 7. in digressione, de quarta figura contra Galenum, ubi ait. ꝙ si daretur quarta figura, tunc sequeretur, ꝙ idem prædicaretur de se ipso, quod est in fine abominationis, & absurdissimum: immo 4. met. com. 3. & 10. met. 8. contra Auicennam habet Auer. ꝙ in illa propositione, in qua idem prædicatur de se ipso, non est subiectum, neque prædicatum, & est nugatoria, ergo omni perito pro manifesto relinquitur, ꝙ idem non prædicatur de se ipso. & per consequens illa propositio, in qua idē prædicatur de se ipso, non est concedenda in arte.

¶ Præterea illud quod prædicatur de aliquo debet esse diuersum ab illo, sed quando singulare prædicatur de se ipso, prædicatum non est diuersum a subiecto, ut patet, ergo singulare non prædicatur de se ipso: maior est Arist. 1. priorum cap. 1. ubi ait [in toto autē esse alterum in altero] ubi per ly alterum, intendit prædicatum ac. 1. perihermenias cap. 3. dum inquit [uerbum semper est nota eorū, quę de altero prædicantur] uerum etiā in ante prædicamentis cap. 3. ait [quando alterū de altero prædicatur ut de subiecto] ex quibus omnibus locis notissimum esse censemus prædicatum semper debere esse diuersum a subiecto, & nil prædicari de se ipso. 3. Ratio.

¶ Præterea illud quod extra animam inest alicui, in anima de illo prædicatur, regula est Auer. 1. post. 148. & illud, quod extra animam nulli inest, in anima de nullo prædicatur, sed singulare extra animā nulli inest cum sit per se existens, ergo in anima de nullo prædicatur: augendo rationem dico, ꝙ prædicatio sumitur ab inhærere, & nō inhærere 4. phy. 25. sed nihil potest inesse sibi ipsi ut ibidē patet, ergo nihil potest prædicari de semetipso. 4. Ratio.

¶ Amplius omnis syllogismus fit ex tribus terminis neque pluribus, neque paucioribus 1. priorum. cap. de 1. & 2. & 3. figuris, unde arguatur sic; si idem prædicaretur de se ipso, tunc syllogismus posset fieri ex duobus terminis, consequens est falsum, & contra Ar. 1. post. 26. ubi inquit [dico autem uno, quoniam neq; termino uno, neq; positione una posita, ex duabus autem positionibus primis, & minimis contingit si quidē & syllogizare] sequitur ergo idem non posse prædicari de se ipso. 5. Ratio.

¶ Rursus & fortissimè decretum est Arist. 9. met. 17. tale [quod igitur ēst possibile esse, contingit esse, & non esse] idest illud quod habet potentiam esse potest esse, & quod nō possibile est esse non contingit esse, nam sicut se habet affirmatio ad affirmationem, sic se habet negatio ad negationem 1. post. 99. sed singulare non habet potentiam ut per se possit prædicari de se ipso, ergo nūquam actu per se prędicabitur de se ipso, minor probatur ex 4. phy. 25. nihil habet potentiam inesse sibi ipsi, ergo actu nihil inest sibi ipsi, neque prædicatur de se ipso. sed singulare non habet potentiā inhærendi sibi ipsi, ergo nunquam in actu prædicabitur de se ipso: hæc quidem est demonstratio. 6. Ratio.

¶ Amplius si esset uerum ꝙ idē prædicatur de se ipso, tunc sequeretur, ꝙ propositio uniuersalis facta ab Arist. in ante prædicam. cap. 2. non haberet locum, dicit enim Arist. ibi [simpliciter autem quæ sunt indiuidua, & unum numero de subiecto nullo dicuntur] consequentia probatur, nam 2. priorū cap. de instantia, propositio particularis affirmatiua destruit uniuersalem negatiuam ut hæc propositio, aliquis homo est albus, destruit & falsificat hanc nullus homo est albus, si singulare prædicaretur de se ipso tunc prædicaretur 7. Ratio.

retur de aliquo, & sic esset falsa propositio Ar. quòd indiuiduum de nullo prędicatur, nam si diceremus, sortes est sortes, ly sortes, qui prædicatur de sorte, prædicatur de aliquo, nam sortes est aliquis homo, quod de facto est contra Arist. 1. post. 4.33. & in ante prædicamentis cap. 2. patet ergo singulare nullo pacto prædicari.

Ratio. 8.

¶ Præterea omne prædicatum aut est naturale, aut artificiale 1. post. 147. sed singulare non est prædicatum naturale, nec artificiale, ergo non est prædicatum: minor probatur, & primo, quòd non sit prædicatum artificiale, supponendo unum, quòd scientia, & ars est de rebus æternis, & necessarijs 1. post. 62. 6. ethi. cap. 4. 7. met. 53. & 1. met. in prologo [ars est uniuersalium cognitio, experientia uero singularium] ac Porphyrius in cap. de specie, singularia esse ab arte expellenda, quia sunt infinita, sed singularia sunt corruptibilia 7. met. 35. & 53. ergo singularia non sunt prædicata artificialia, & quòd nō sint prædicata naturalia probatur tali pacto supponendo primo unum ex Auer. 1. post. 18. in epit. logicæ pide dem. & 7. met. 59. quòd prædicatum naturale est triplex.

Quot modis est prædicatio naturalis.

Primum quando causa prędicatur de causato, ut homo est rationalis. Secundū quando accidens prædicatur de subiecto, ut homo est risibilis. Tertium quando superius prædicatur de inferiori, ut homo est animal, sed singulare nullum istorum est, non enim est causa, quia est causatum, & compositū ex causis, & principijs. 1. phy. 64. nec est accidens, quia est substantia ut in cap. de substantia patet, & cum sit substantia non potest esse accidens 1. phy. 27. & 30. [quod uerè est nulli accidit] 1. quod est substantia non est accidens: neque est superius, quia superius sonat idem quòd genus, sed est quid præter hæc, ergo singulare per sufficientem prædicatorum numerationem non est prædicatum artificiale, nec prædicatum naturale de se ipso. ¶ Amplius, & primo suppono unum, quòd prædicatum & subiectum possunt bifariam considerari aut in ordine ad copulam, aut inter se, si considerantur in ordine ad copulam sic habent rationem materiæ, & copula habet rationem formæ ueluti clarißime sumitur ex 1. perihermenias nomen pro materia sumitur in propositione, uerbum uero pro forma, si comparētur inter se tunc subiectum significat materiā, prædicatum uero dicit formam; quo stante arguatur sic, si idem prædicaretur de se ipso, tunc idem esset sibi ipsi materia, & forma: quod impoßibile teste Ar. 2. phy. 70. ubi refert, q̄ tres causæ plerunque ueniunt in unam ut forma, efficiens, finis: materia uerò nunquam, quia materia arguit potentiam, forma uero arguit actum 2. phy. 12. & 2. de anima 2.25. & 7. met. 34. & 9. met. 16. & 11. met. cap. 2. ideo non possunt coincidere, cūm actus & potentia sint differentiæ entis ualde opposita 1. de anima. 6. & 12. met. 26. Auer. Ex his ergo relinquitur, quòd sicut materia quæ est potentia non coincidit cum forma, quæ est actus; sic idem non potest prædicari de ipso, quia sequeretur unum & idē esse actum, & potentiā, quod falsum.

Ratio 10.

¶ Rursus & primo suppono unum, quòd (ut abunde dictum est supra) unum & idem nō potest esse materia, & forma, subiectum, & prędicatum, continens, & cōtentum, terminans, & terminatum, agens, & patiēs, nobile, & ignobile: unde arguatur si singulare prędicaretur de se ipso, tunc sequeretur quòd unū & idem esset forma, & materia, subiectum, & prædicatum, cōtinens, & contentum, terminans, & terminatum, agens, & patiēs, nobile, & ignobile respectū sui ipsius: quod est falsum & contra Ar. ut probabimus, ergo pro manifesto relinquitur falsam esse Porphyrij positionem: singulare de se ipso prædicari, consequentia neganda probatur sic, Ar. n. 4. cæli. 35. loquens de continente, & cōtento, dicit; quòd id quod continet est forma, quòd autem continetur est materia, modo si idem prædicaretur de se ipso, tunc idem esset continens, & contentum, forma, & materia, quia subiectum dicit materiā; prędicatum dicit formam 2. cæli. 74. [honorabilius est continens, & finis, quàm finitum: hoc enim materia est, illud autem substantiæ constitutionis est] intelligendo formam [quod enim determinatum est, medium est, quod uero determinat, finis est] ex quibus sumitur, quòd terminans sit nobilius terminato, modo si idem prædicaretur de se ipso, tunc idem esset nobilius se ipso, ut terminans, & terminatum: terminās ut forma, terminatum ut materia: tum etiam 2. phy. 4. Auer. forma nobilior materia, respectus enim continentis est respectus formæ ad materiam 4. cæli. 23. Ad euitanda ergo tot inconuenientia concludimus idem de se ipso minime prædicari posse.

Ratio 11.

¶ Amplius locus adest Ar. concludens contra Porphyrium 7. met. 59. ait [quærere igitur propter quid ipsum est ipsum nihil est quærere ut propter quid homo est homo, aut musicus est musicus, nihil est quærere] quoniam quæsitum propter quid dicit causam, quæ causa est causa prędicati inhærentis subiecto, & ly propter quid, cadit super prædicatum ut homo est risibilis, quæritur modo propter quid homo est risibilis, non quæritur propter quid homo est homo, quęritur ergo & scientificè quando prædicatum est diuersum a subiecto, & non idem de se ipso: ex quibus demonstro contra Porphyrium. Tunc aliquod prædicatur de aliquo uera prædicatione, quando super illud cadit propter quid, ut propter quid luna deficit? Sed quando idem prædicatur de se ipso, super prædicatum, non cadit propter quid, ut di-

tendo propter quid sortes, est sortes, ergo idẽ uera prædicatione non potest prędicari de se ipso.

12. Ratio.

¶ Præterea locus est euidentißimus 2. top. cap. 19. ubi Ar. absurdũ reputãs idẽ prædicari de se ipso, ait [si quis gaudere ei quod est lętari ponet accidere idẽ sibi ipsi dicet accidere] & quoniã iã longo admodũ cõtra Porphyriũ digreßi fuimus, eiusque positionẽ confutauimus ualidißimis quidem rationibus, atque authoritatibus Ar. nullam glosam patientibus, uerum quoniam aliqui Porphyrium defendere nituntur, idcirco operæpretiũ fore duximus uidere quænã sit defensio hæc.

IN QVO PORPHYRII POSItio defenditur. Cap. IIII.

Defensio Caietani pro Porphyrio.



Thomas de Vio Caietanus Porphyrij positiõis defensor hac utitur prædicationis distinctionẽ, quod prædicatio est duplex, una quæ dicitur naturalis, ut quando idem prædicatur de se ipso, ut homo est homo, quæ ideo dicitur naturalis, quia nil ignotum notificat, nõ manifestat, non uerificat aliquod prædicatum ignotum, & diuersum a subiecto, sed affirmat, & uerificat idem de eodẽ ut a. est a. b. est b. Alia uero est prædicatio artificialis, & est illa quæ notificat aliquid ignotũ prædicatum diuersum a subiecto, ut homo est animal, qua distinctione stante Caietanus defendens Porphyrium, ait; quod quando dicit Porphyrius, quod singulare prædicatur de se ipso, uel de uno solo, intelligit de prædicatione naturali, non artificiali: & sic pro decreto firmat Porphyrium minime aberrare dum dicit singulare de uno solo prædicari. Sed hęc Caietani defensio (pace eius dixerim) Porphyrium potius offendit, quã defendit, nã ostendit Porphyrium ignorare quæ sunt prædicata naturalia. Non enim prædicatio eiusdem de se ipso est naturalis ut probatur ex Au. 1. post. 148. in epit. log. cap. de dem. ac 7. met. 59. & si quis grossipedalis nollet Auerroi fidem adhibere contra Porphyrium in promptu est dilucidißimus Themistius 1. post. cap. 35. 38. similiter Ioannes grammaticus 1. phy. 29. qui aßerunt, quod prædicatio est duplex, quædam naturalis, quędam uero innaturalis, declarãtes quænam sit prædicatio naturalis, dicunt quod est illa quando accidens prædicatur de subiecto, ut homo est musicus, & quando caussa prędicatur de causato ut homo est rationalis, prædicatio autem innaturalis quando subiectum, seu substantia prędicatur de accidente ut musicum est homo, uel quando causatum prædicatur de causa ut rationale est homo, quę omnia dilucidissimus Themistius declarat 1. post. cap. 35. dum inquit sic: tum uerò maximè accidentaria prædicatio est, quoties peruerso naturæ ordine substantia de accidente affertur, ut cum de albo animal dicitur, nam oratio hæc, album est animal, differt ab ea, quæ est; animal est album, & in cap. 38. ait; prędicationes, quæ naturalem terminis regionem mutant, ne prędicationem quidem appellatione censemus, ex quibus Auer. & Themistij uerbis erigatur modo contra Caietanum ratio demonstratiua, illud est prædicatum naturale, & tunc quando accidens prædicatur de subiecto, uel causa de causato, sed idem non est accidens sibi ipsi, quia quod est accidens, nequit esse substãtia, & econtra 1. phy. 27. [quod uere est nulli accidit] neque idem est causa sui ipsius, quia idem esset prius se ipso, quod est contra Ar. in libro de motu animalium ubi inquit cap. 3. [ipsum autem se ipso prius nullum est] ergo omni perito in regulis cognoscendi prædicata naturalia in doctrina Auer. & græcorum relinquitur contra Caietanum male Porphyrium defendentem, quod idẽ de se ipso non est prædicatum naturale.

IN QVO DIVI THOMAE POSItio impugnatur. Cap. V.



Mirum profecto est quomodo beatus Thomas Doctor angelicus, sublimis ingenij, ac in omni scientiarum genere peritißimus in hanc positionem inciderit, cum dicat; idem per se prędicari de se ipso: hæc quidem positio apud illos, qui ueras callet perseitates, non uidetur posse defendi, & probatur nonnullis rationibus iudicio meo demonstratiuis, quarum prima sit ista. ¶ Omnia prædicata per se uel sunt in primo modo dicendi per se, uel in secundo modo dicendi per se, quæ sunt in primo modo sunt genera, & generum definitiones, propriæ differentię, & conuertibiles definitiones: quæ uero sunt in secundo modo sunt propria & essentialia accidentia 1. post. 30. 31. 35. 44. & 152. 7. met. 11. in epit. log. cap. de dem. 2. de anima. 67. & non dantur alia prędicata per se, sed singulare nullum istorum est, non genus, non differentia, non definitio, ut clarè patet, ergo singulare non est prædicatum per se, neque debet numerari inter prædicata per se, nec de alio, nec de se ipso: & hæc ratio uidetur absque dubio demonstratiua.

1. Ratio contra D. Thomam.

2. Ratio.

¶ Amplius locus quidem est demonstratiuus 1. top. cap. 3. ubi Arist. numerans prædicata quæ prædicantur per se, & quæ prædicantur per accidens, ait [necesse est enim omne quod prædicatur de aliquo, aut conuersim de re prædicari, aut non, & si cõuersim prædicatur, terminus idest definitio erit, uel propriũ. Si autẽ nõ cõuersim prædicatur de re, aut ex eis, quæ in definitione subiecti dicuntur, est, aut non, & si ex ijs, quæ in definitione dicuntur, aut genus, aut differẽtia erit, eo quod defi-

Duplex prædicatio.

Impugnatur defensio Caietani.

deſinitio ex genere, & differentijs eſt. Si uero ex ijs nõ eſt, quæ in deſinitione ponuntur, palam eſt, quoniã accidens erit; nam accidẽs dicebatur, quod neq; terminus, neq; genus, neq; proprium, ineſt autẽ rei] quibus ſtantibus pro maiori fiat minor demonſtratiuã, ſed ſingulare nullum iſtorum eſt, ut ipſimet Thomiſtæ iudicare poſſunt, ergo ſingulare non eſt prædicatum per ſe, & ſic non poterit nec de alio ſubiecto, nec de ſe ipſo per ſe prædicari.

3. Ratio. ¶ Præterea illa, quæ ſunt in tertio modo dicendi per ſe, non ſunt in primo, nec in ſecundo modo dicendi per ſe, quoniã quę ſunt in tertio modo exiſtunt per ſe, & nõ prædicantur per ſe 1. poſt. 33. ea quæ ſunt in primo, & in ſecundo modis prædicantur per ſe 1. poſt. 30. 31. 24. 1 52. ſed ſingularia 1. poſt. 33. ſunt in tertio modo quæ exiſtunt per ſe, & non prædicantur per ſe, ergo ſingularia non prædicantur per ſe nec de alio, nec de ſe ipſis: unde reiteretur ratio, illud, quod per ſe exiſtit in tertio modo, non per ſe prædicatur ſed ſingulare per ſe exiſtit ut Ar. ait in cap. de ſubſtantia, ergo ſingulare non per ſe prędicatur.

4. Ratio. ¶ Amplius illud quod eſt prædicatum per accidens nõ eſt, neque poteſt eſſe prædicatum per ſe 1. poſt. 32. ſed ſingulare 1. priorum. cap. 23. & 1. poſt. 32. eſt prædicatum per accidens, ut patet in illis uerbis quando dicit Ar. [quæcunque neutro modo inſunt accidentia ſunt] ergo clarum eſſe fatemur ſingulare nec de alio, nec de ſeipſo per ſe prædicari poſſe, uerum ſi prædicatur, non prædicatur niſi per accidens.

5. Ratio. ¶ Rurſus id quod per ſe ſubijcitur nullo modo eſt per ſe prædicatum, quoniam regula eſt famoſa, quod id quod eſt per ſe tale ſemper eſt tale eoque magis, quoniam ſubiectũ dicit materiam, prædicatum uero formam, ſed ſingulare propriè, principaliter; & maximè eſt ſubiectum ut teſtis eſt Ar. in prædicam. cap. de ſubſtantia, ergo omnibus qui ueram profitentur Logicam pro comperto relinquatur ſingulare ipſum nec de alio, nec de ſe ipſo per ſe prædicari poſſe.

Hęc ergo ſunt argumenta, quibus uiſum fuit nobis beati Doctoris poſitionem confutare, quorum quodlibet demonſtrare omni perito notũ eſſe cenſemus. Multæ quoque aliorum eſſent recenſendæ opiniones, quas ſilentio prætermittere uoluimus regulam Ar. ſeruantes 1. top. cap. 9. ubi ſcriptũ reliquit [nam de quouis contraria opinionibus proferente curam habere ſtultum eſt, non oportet autem omne problema, nec omnem poſitionem conſiderare] ac 8. top. cap. ult. [non eſt autem cum omni diſputandum, neque contra quemlibet exercitandum] idcirco uoluimus tantum Porphyrij, & diui Thomæ opiniones recitare, ipſaſque confutare, cùm ſint uiri famoſiſſimi, non ſtudio cõtradicendi, abſit, ſed nos tanquãm ueritatis defenſores iuxta Ar. præceptum 1. Ethi. cap. 7. Amicus ſortes, amicus Plato, pium eſt ueritatem in honore præferre & ne miremini ſi contra Diuum Thomam argumentari audemus, quoniam pro defenſione ueritatis non ſolum aliena, ſed propria etiam impugnare oportet, quibus uerbis aſtipulans Auer. in libro, deſtructio. in prologo dicit [cum in cunctis rebus ab intellectuali uirtute deſiderandis naturaliter, & præcipuè carior, & dulcior, ac dilectior ſit ueritas, tenemur igitur eã ſemper attentè, & feruidè ut efficacius meditari poteſt obtinere: ſuoſque hoſtes eam prauiter litigantes ſe uere percipi, ac ei obijcientes cum uarijs diſpendijs ipſam ſeducere, pertractanteſque uiſceribus ardentibus interimere conantur, itaque ueritas ubique inter omnia obſtacula uigeat, & pręualeat] non mirum eſt igitur ſi Porphyrij, & Diui Thomæ opiniones reiecimus ueritatis amore conſtricti.

IN QVO VERA ARISTOTELIS narratur opinio. Cap. VI.



Riſtotelis uera, ac irrefrangibilis concluſio hæc eſt, ꝙ ſingulare ſubſtantiæ, nec de ſe ipſo, nec de alio ſubiecto per ſe prædicetur, uerum ut talis opinio clarius, & diſtinctius ab omnibus percipiatur, cũ a nullo unquam fuſius ſit pertractata: in hunc procedemus modum. Primum quædam adnotabuntur fundamenta. Secundo concluſiones aliquas ex illis fundamentis, ue præſuppoſitis excerptas fulciemus: quibus præhabitis nedum omnibus clariſſima Ar. patebit opinio, uerũ etiã facillimè ſoluentur in ſequenti capite argumenta in oppoſitum ducta. ¶ Circa prę́ſuppoſita, quæ polliciti ſumus, hoc primum ſtatuimus, & peripateticum, ꝙ prædicatio in Ar. doctrina 1. priorũ, cap. 23. 1. poſt. 32. dicitur duobus modis, uno modo prædicatio uniuerſalis, ſeu per ſe, alio modo ſecundum accidens, quæ prædicatio per ſe denotat ſubſtantiam ſubiecti, ueluti genus, & ſpecies, quæ ambo 1. top. cap. 4. & in cap. de ſubſtãtia. 1. poſt. 30. & Porphyrius in ſuo libello prædicantur in quid eſſentialiter, & omnino nos intelligimus per prædicationem uniuerſalem omne illud prædicatum, quod dicit ſubiecti ſubſtantiam, ſiue ſit commune, ut genus, ſiue ſit proprium, & conuertibile, ut propria differentia, & definitio 1. poſt. 30. 36. 37.

¶ Sed dices, id quod dictum eſt ſcilicet ꝙ prædicatio uniuerſalis intelligitur illa, & eſt illa quæ denotat ſubſtantiam ſubiecti, non uidetur omnino eſſe tutum, & ab errore alienum, quod probatur ſic, illa quę inter ſe differunt non ſunt eadem, ſed prędicatio uniuerſalis differt a prædicatione denotante ſubſtantiam ſubiecti, ergo prædicatio uniuerſalis non eſt eadem cum prædicatione Dubitatio.

 tione

tione denotante substantiam subiecti, minor probatur sic, illa dicitur prædicatio uniuersalis 1. post. 36. quæ habet tres conditiones nempe de omni, per se, & primum: sed prędicatio, quæ denotat substantiam subiecti, non habet tres conditiones, sed duas scilicet de omni, & per se, ut in hac propositione, homo est animal, ly animal, quod est genus, denotat substantiam hominis subiecti 1. post. 30. & 6. top. cap. 1. ergo prædicatio uniuersalis non est eadem cum prædicatione per se, sed ualde differunt. ¶ *Soluitur, uerum pro solutione est sciendum, quòd ly per se, dicitur duobus modis, cōmuniter, & propriè, uel secundum prius, & secundum posterius, ut ait Auer. in quæs. 2. & 3. post. a simili, sicut per se dicitur bifariam scilicet cōmuniter, & propriè, sic prędicatio denotans substantiam subiecti reperitur duobus modis scilicet communiter, & propriè, cōmuniter dico, ut quando genus, uel eius definitio, uel eius differentia prædicatur de specie, & non conuertitur: propriè uero idest conuertibiliter, ut sunt propria definitio, specifica differentia quando prædicantur de suis proprijs subiectis, & hæc prædicatio dicitur uniuersalis teste Auer. in 3. quæs. post. quo stante dicendum, quòd prædicatio denotans substantiam subiecti propriè, dicta illa est prædicatio uniuersalis non autem prædicatio denotans substantiam subiecti cōmuniter dicta, & hæc non est eadem cum uniuersali, & sic soluitur dubitatio: prædicatio autem secundum accidens reperitur tribus modis, primo modo est illa, quæ est per se, & non est prima, idest conuertibilis, ut quādo genus, uel generis differentiæ, ac generis definitiones prędicantur de specie quę sunt prædicata per se 1. post. 30. & non sunt conuertibilia teste Au. 1. post. 36. 37. 41. & 2. post. 94. in epit. log. cap. de demon. & in 4. quæs. post. sic asserente, prædicata, quæ non sunt prima, neque propria i. conuertibilia, subintrant id, quod est per accidens, dico quòd sunt prædicata per accidens non ut distinguuntur contra per se, sed sunt per accidens in quantum non sunt propria, prima, & conuertibilia.* ¶ *Secundo modo dicitur per accidens prædicatio illa, quæ est de omni, & non per se, ut omnis cygnus est albus, hæc propositio est de omni tantum, & nō per se: est de omni, quia ly albus prędicatur de omni cygno, & de omni indiuiduo contento sub cygno, tanquām sub specie, non est per se, quoniam ly, albus, non sumitur in definitione cygni, neque cygnus accipitur in definitione albi Auer. teste. 1. post. 95.* ¶ *Tertio modo reperitur illa prædicatio per accidens, quæ neque est de omni, neque per se, ut omnis homo est albus, ly albus, non prædicatur de omni homine, quia æthiops est homo, & tamen non est albus, neq; albus accipitur in definitione hominis, quia non dicit substantiam hominis, & sic non est per se, quæ ergo triplici prædicatione per accidens sic stante prima uocatur absolute per accidens, secunda ualde per accidēs, tertia maxime per accidēs. uerum ut hæc distinctio undique uera uideatur, cōfirmatur ratione, sicut rectum apud naturam, &c. per se est uno modo. per accidens uero & obliquum pluribus modis: ita apud artem est unum quæsitum per se scibile, & rectum: per accidens uero & obliquū pluribus modis: ars enim 2. phy. 22. & 4. meteor. 27. imitatur naturam.* ¶ *Aliud præsuppositum est quòd prædicatio est duplex, quædam naturalis, quædam innaturalis ut testis est Au. 1. post. 4. 148. 149. & 151. 1. priorum cap. 23. 7. met. 59. in epit. log. cap. de dem. nec nō Græci omnes ut Philoponus 1. phy. super tex. 29. Ammonius in cap. de substantia. Themistius 1. post. cap. 35. 38. Latini uero multis utuntur distinctionibus, quæ in unam coincidere uidentur, dicentes, quòd alia est prædicatio uniuoce dicta, alia ęquiuocè, uel quædam est secundum rem, quędā secundum uocem, uel quædam directa, & quędā indirecta, uel est de modo loquēdi incōsueto, uel quædam est ordinaria, quędam inordinaria, uerum nota, quòd prędicatio ordinaria est illa in qua ordo naturę seruatur, idest cùm subiectum se habet per modū per se stantis, & prędicatum per modum inhęrentis ueluti Au. 1. priorū in digressione, de quarta figura cōtra Galenum. inordinaria uero prædicatio est opposito modo, idest quoties prædicatū non se tenet ex parte inhęrentis, & subiectum per modum per se stantis ut cum de accidente subiectum enuntiatur, uel de superiori inferius. Amplius nota, q̄ prædicatio naturalis superius assignata in dictis Au. in epit. log. cap. de dem. reperitur tribus modis, uno modo quando causa prædicatur de causato, ut homo est rationalis, secundo modo quā do accidens prædicatur de subiecto, ut homo est risibilis, tertio modo quando superius prædicatur de inferiori, uel maius de minori, ut homo est animal, & sicut naturalis dicitur tribus modis sic ēt innaturalis prædicatio dicitur tribus modis, faciendo totum oppositum, ut quando causatū prædicatur de causa, ut rationale est homo, & quando subiectum prædicatur de accidente, ut risibile est homo, & quādo inferius de superiori ut animal est homo, unde oritur regula quot modis dicitur prædicatio naturalis, tot modis innaturalis.* ¶ *Sed dices dictum est supra, quòd prędicatio naturalis in dictis Au. est triplex nempe causa de causato, accidēs de subiecto, superius de inferiori, hęc distinctio uidetur falso esse attributa Au. quoniā nūquā reperitur Au. dixisse triplicē esse prædicationē naturalē, sed tantū nominauit duplicē scilicet quādo causa de causato, & accidens de subiecto, de tertia*

Margin notes:

Solutio. Per se dicitur duobus modis.

Quot modis dicitur prædicatio per accidens.

2. Prædicatio per accidens.

3. Prædicatio per accidens.

Quid sit prędicatio ordinaria & inordinaria.

Dubitatio.

Solutio.

tia uero nunquam meminit. ¶ Pulcra quidem nimis dubitatio, pulcriorem tamen nota candide Lector soluendi modum. Primo tamen supponendo duo, primum quòd causa est duplex una dicitur communis, & uniuersalis, ut est genus 2. phy. 28. & 1. met. 17. & in cap. de definitionibus Auer. alia uero propria, & particularis, ut propria specifica differentia, seu forma ut ibidem patet. Secundum præsuppositum est, quòd genus teste Auer. 2. post. 94. est causa speciei. Quibus suppositis sic stantibus dicendum, quòd quando dixit Auer. (causa de causato) intellexit tam causam propriam, quæ est rationalitas, quàm causam communem, & uniuersalem quæ est genus, in quibus paucis uerbis inclusit duplicem prędicationē scilicet causam propriam quæ est forma, & causam communem quæ est genus, quod genus significat superius de inferiori, unde exponantur uerba Auer. hoc modo scilicet, causa de causato, id causa propria quæ est forma, & causa communis, quæ est genus superius quando prædicatur de causato: idest de inferiori: idest de specie, tunc est prædicatio naturalis, & ordinaria dicta a latinis qua ergo expositione Auer. stante dubitatio non tenet contra distinctionem.

Notandum.

¶ Sed nota utile quodam, quod est tale; idem est dicere prædicationem innaturalem, & prædicationem secundum accidens, seu per accidens, sed scias quòd differt prædicatum, quod est accidens, & prædicatū secundum accidēs, nam prædicatum, quod est accidēs, est prædicatum naturale, ut homo est albus, sed prædicatum, quod est secundum accidens, seu per accidens est prædicatum, quod non est accidens, neque naturale, ut quando prędicatur substantia dicendo, rationale est homo, homo est fortes, & fortes est fortes, ut Arist. 1. priorum cap. 23. & Auer. uerum est sciendum, quòd accidens quando prædicatur de subiecto dicitur prædicatum quod est accidens, & secundum accidens, & per accidens, quia non est prædicatum per se loquendo de accidente communi, ueluti Arist. 1. post. 52. 53. 54. tamen dicitur prædicatum naturale.

Solutio.

¶ Sed dices, quādo sunt duo accidentia quorum unum prædicatur de altero, ut risibile est disciplinabile, illud accidēs, quod prædicatur, quod prædicatum est, per se, & naturale, uel per accidens, & innaturale?

Dubitatio.

¶ Respondet Auer. 1. post. 44. dicens, mutua proprietatum prædicatio est prædicatio per accidens, & ammonius cap. de substantiis, idest neque per se, neque naturalis, nam tunc est prædicatio naturalis, quādo accidens prædicatur de substantia ut de subiecto, nō autem de accidente, quia unum accidens non est subiectum alterius, sed utrumque inest tertio: idest subiecto 5. met. 13. & 15. Ar. ¶ Sed nota, quòd quando accidens prædicatur de accidente, ut risibile est disciplinabile, ly disciplinabile, potest esse prædicatum naturale, sumendo ly risibile, non ut accidens est, sed ut est subiectum, in quo reponitur risibilitas, quod est homo, adeo quod dicere, risibile est disciplinabile, idem esset dicere, quod homo est disciplinabilis, & sic quādo disciplinabile prædicatur de homine prædicatur naturaliter: unde habeas quomodo accidens de accidente prædicatur naturaliter, & non naturaliter, quam declarationem docet Au. 1. post. 148. 149. in Epist. de prim. pręd. ponantur ergo in forma distinctionis omnia quæ diximus, ly risibile, consideratur bifariam uno modo ut accidens est, alio modo ut est subiectum accidentis, quādo sumitur ut est accidēs, tunc hæc propositio, risibile est disciplinabile, est per accidens, & innaturalis, sed quando sumitur pro subiecto accidentis, i. risibilitatis quod est homo, tunc est naturalis.

Dubitatio.

¶ Dices ergo sequitur ex dictis, quòd accidens non prædicatur naturaliter de accidente, hoc uidetur falsum, nam albedo est color, in hac propositione color prædicatur de albedine, & tam color, quàm albedo sunt accidētia, ergo accidens prædicatur de accidente, immò naturaliter, & per se: quoniam color est genus ad albedinem tanquam ad speciē, quod genus tanquā superius naturaliter prędicatur de specie, & per se 1. post. 30. ergo accidens de accidente non solum naturaliter, sed per se prædicatur de accidente.

Solutio.

¶ Soluitur, sed est sciendum, quòd albedo bifariā uenit consideranda, uno modo ut accidens est, alio modo ut species, & ut natura minus uniuersalis, similiter color cōsideratur duobus modis uno modo ut accidēs est, alio modo ut genus est, & natura magis uniuersalis, qua præhabita distinctione dico, quòd quando color prædicatur de albedine, non prædicatur ut est accidens de accidente, sed prædicatur ut est genus, & natura magis uniuersalis de albedine tanquam de specie, & de natura minus uniuersali, & sic prædicatur per se & naturaliter, & in quid dicens substantiam suę speciei, & hoc modo uenit intelligendus Porphyrius definiens genus, quando dicit, genus prædicatur de pluribus differētibus specie in eo quod quid, genus dico i. natura magis uniuersalis prædicatur de pluribus speciebus, i. naturis minus uniuersalibus in eo quod quid, i. dicēs essentiā & substantiam ipsarū.

Quomodo intelligit Porphy.

Regredientes ergo unde discessimus, & reassumētes distinctionē dicimus, quòd prædicatio est duplex quædā naturalis, uerè, ordinaria, secundum rē, uniuocè, uniuersalis, denotans substantiā subiecti, per se, quædā uero innaturalis, falso, inordinaria, secundū uocē, æquiuoce, secūdū partē, nō denotās substātiā subiecti, per accidens quibus stantibus, dicimus, quæsiti ueritatē determinantes in doctrina Ar. singulare substātiæ nō prædicari, immò impossibile ē prædicari de se ipso, uel de alio subiecto

prædicatione naturali, uera, ordinaria, secundum rem, uniuoce, uniuersali denotante substantiam subiecti, & per se, sed prædicatione innaturali, falsa, inordinaria, secundum uocem, æquiuoce, secundum partem, non denotante substantiam subiecti, & per accidens, & preter regulã artis, inartificialiter, aliquando, non semper, præter naturalem consuetudinẽ, in minori parte, & in paucioribus: quæ prædicatio nõ deseruit arti, nec demonstrationi, sed ab arte, & a demonstratione reijcitur tanquàm inutilis, nõ scientifica, immò nõ perscrutatur in arte talis per accidens prædicatio iuxta præceptũ Ar.6.met.5.& 6.ac Au. 1. post. 44.5.phy. 6.id quod est per accidẽs non perscrutatur in arte.

Confirmatio.

¶ Quod ratione confirmatur, illud, quod est in paucioribus, seu in minori parte non est de omni, immo existimatur nõ esse 2.phy.55. & quod non est de omni, nõ est per se 1.post.29. & id, quod non est per se, est per accidens 1.post. 32.Ar.2.post.94.Au. quod est per accidens nõ perscrutatur 1.post.44.Au. est inartificiale ab arte, & scientia, & omnino a demonstratione reijcitur 1. post. 41.44 2. post. 94. sequitur ergo quòd si singulare prædicatur, nõ prædicatur, nisi prędicatione per accidens, quæ neque arti, neque scientiæ, neque demõstrationi deseruit. Hinc parent nobis uolentes singulare per se de se ipso prædicari, ex rationibus enim factis uidetur apertissime quantum sint alieni a uia ueritatis: nos autem Arist. dogmata insectantes asserimus singulare siue de seipso, siue de pluribus per accidẽs prædicari, & adeo per accidens, quod nullo modo potest reduci ad per se. ¶ Sed quæres & non extra propositum quando Arist. 1.post.4.dicit [quæcunque singularia sunt, & non de subiecto] quæ singularia intendit, singularia substantiæ tantum, an singularia accidentis tantum, an utraque simul? ¶ Soluit Auer. in com. & dicit, quòd Arist. intendit utraque, ac ipse met. Arist. in ante prædicam. cap. 2. asserens [simpliciter autem quæ sunt indiuidua, & unum numero de subiecto nullo dicuntur.]

Dubitatio.

¶ Sed dices, quòd hęc expositio non potest stare, quoniam singulare accidentis prædicatur de subiecto imo naturaliter, ut coruus est hoc nigrum.

Solutio.

¶ Pro solutione huius dubitationis nota tex. uerborũ, pro cuius intellectu est sciẽdũ expositionẽ, quod duplex est prædicatio, una quę naturalis appellatur, alia quę uniuersalis nominatur 1.post. 36.37. Arist. quæ prædicatio uniuersalis est illa, quæ denotat substantiam subiecti siue sit communis, ut genus, siue sit propria, ut differentia, & definitio: per prædicatum ergo uniuersale non intelligo aliud nisi prædicatum substãtiale dicens substantiam subiecti 1.post.30. unde exponatur textus Arist. Quæcunque iam singularia sunt id est tam substantię, quàm singularia accidẽtis non de subiecto dicuntur, id est prædicatur dico prædicatione uniuersali denotante substantiam subiecti, licet singularia accidentis prædicentur prædicatione naturali, tamen non prædicantur prædicatione uniuersali, & sic patet dubitationis solutio: & restat firma conclusio, quod neque singularia substantiæ, neque accidentis prædicantur de subiecto: ex quibus sumas conclusionem singularia substantię non prædicari, neque singularia accidentis prædicatione naturali uniuersali, sed si singularia accidentis prædicantur, non nisi prædicatione naturali tantum.

Conclusio defendenda.

Dubitatio.

¶ Sed quidam ex nostris scholaribus quæret, quæ est regula cognoscendi quando aliquod prædicatum naturaliter prædicatur de subiecto?

Regula cognoscẽdi quãdo aliquod naturaliter prædicatur de aliquo.

Solutio.

¶ Pulchro quidem quæsito pulchriori solutione satisfaciendum, pro cuius intelligentia est notandum, quòd asserit Ar.4.phy.cap. de inesse, quòd prædicatio sumitur ab inhærere, & non inhærere, quo stante hæc sit tibi seruanda methodus ad cognoscendum quando aliquod naturaliter prædicatur, & quando non, quando est aliquod apud naturam, quod extra animam inest alicui subiecto, uel est aptum natum inesse, tunc in anima illud naturaliter prædicatur de illo, u.g. albedo est apud naturam extra animam inest cygno, ergo in anima prædicatur de cygno, dicẽdo, cygnus est albus, quãdo autem est aliquod apud naturam extra animam quod non inest alicui subiecto, uel non est aptum natum inesse alicui, tunc illud in anima non naturaliter prædicatur, u.g. singulare substantię, ut Franciscus qui est apud naturam extra animam nulli inest, & nullo indiget ut existat, sed existit per se, ergo in anima de nullo prędicatur, & ideo dixit Arist. in cap. de substantia [à prima substantia nulla est prædicatio] quia a prima substantia nulla sumitur in hęrentia: habes ergo studiose Lector quænam est methodus cognoscendi prędicata naturalia, quæ ut tradit Arist. 1. top. cap. 2. numero uidentur esse quatuor dicens, omne prędicatum naturale quod etiam est artificiale, uel est uniuersalius subiecto de quo prędicatur, uel conuertitur, si est uniuersalius, uel ponitur in definitione subiecti, & prędicatur in quid, uel non ponitur in definitione subiecti, & prædicatur in quale: si primo modo est genus, nam omne prędicabile in quid de subiecto ut de specie, & non conuertitur est genus, si secundo modo, est accidens commune, si uero conuertitur cum subiecto, uel ponitur in definitione subiecti de quo prędicatur, & prędicatur in quid, uel non ponitur in definitione subiecti, & prædicatur in quale: si primo modo est definitio, quę prædicatur in quid, si secundo modo est accidẽs proprium, & sic quatuor sunt prædicata naturalia completa per artem, ut genus, definitio,

Regula cognoscẽdi quãdo aliquod non prædicatur naturaliter de aliquo.

finitio, accidens proprium, & accidēs commune, & si dantur alia duo prædicata. s. differentia, & descriptio, ut ibidem Auer. includuntur in istis quatuor, differentia includitur in genere, et descri ptio in proprio, & sic habetur regula, et numerus prædicatorum naturalium artificialium, quam si memoriæ mandas nunquàm errabis: regredientes
Confirmatio ueritatis. *ergo unde discessimus, quæsiti ueritas, ut magis elucescat, ratione cōfirmatur multiplici, & prima*
1. Ratio. *sit ista.* ¶ *Id quod est propriè tale per se est tale, quod per se est tale, natura sua est tale, & quod natura est tale non aliter tale, sed semper est tale, & ubicunque reperitur, & quomodocunque, & qualitercunque, & ad quodcunque cōparatur est tale, regula hæc est sensata v. g. ignis propriè est calidus natura sua semper calidus, nō nūc sic, nūc non, ubicunque reperitur, & ad quodcunque com paratur semper est calidus iuxta decretum Arist. 8. phy. 15. ubi asserit [id quod natura est simpli- citer se habere oportet, & non aliquando quidem sic, aliquando uerò aliter] sed singulare substātiæ propriè subijcitur, & est subiectum, ut in cap. de sub. Arist. ergo per se est subiectum, ergo natura sua est subiectū, si natura, ergo nō aliter, ergo sem- per subiectum per se nunquam prædicatum per se, sed si prædicatur, nō nisi per accidens: hæc ratio*
2. Ratio. *demonstrat.* ¶ *Amplius Arist. 1. priorū cap. 23. diuidens ea, quæ sunt, ait; q quædam sunt tantùm subiecta, et de nullo prędicata, ut singularia. Alia uerò sunt, quæ tantùm prædicata, & nō subiecta, ut uniuersalissima decem rerum genera. Alia uo rò, quæ & subiecta, & prædicata esse possunt, ut inter media, ex quibus nulli dubium esse cēseo sin- gularia ipsa nullo pacto per se prædicari de se ip- sis, sed solum per se subiecta, & non per se prædi-*
3. Ratio. *cata, nec de alio, nec de se ipsis.* ¶ *Præterea idē non potest esse prius, & posterius se ipso, ut Ar. contra antiquos 1. post. 22. neq; idem potest esse superius, & inferius principium, & principiatum subiectum, & prædicatum: & idem non est diuer- sum a se ipso, modo si singulare prædicaretur per se de se ipso, ergo idem per se esset prius, & poste- rius se ipso superius, & inferius, principiū, & prin cipiatum, subiectū, & prædicatum: immo idē per se esset diuersum a se ipso, cum de ratione prædi- cati sit, q debet esse diuersum a subiecto, ut contra porphyrium demōstrauimus, quod profecto nemo sani capitis concederet, non ergo singulare per se*
4. Ratio. *de se ipso prædicari est dicendum.* ¶ *Rursus & præsuppono unum, q per se subsistere, & per se prædicari sunt duo ualde adinuicem diuersa, quo stāte id quod per se existit nullo modo per se præ- dicatur nec de alio, nec de se ipso, sed singulare per se existit, & propriè existit 1. post. 33. ergo singulare per se de se ipso non prædicatur.*
5. Ratio. ¶ *Amplius Arist. 7. met. 59. asserit hæc uerba [quærere igitur propter quid ipsum est ipsum, ni- hil est quærere] ac si diceret, si aliquis quęreret propter quid homo est homo, nihil quærit, nā qui quærit debet quærere aliquid, idest prædicatum diuersum a subiecto, ut risibile de homine, uel cau sam prędicati, ut propter quid homo est risibilis, et nō propter quid homo est homo, uel propter quid ipsum est ipsum, quia sic nihil quęrit, ex quibus eri gatur argumentum insolubile, sicuti se habet in petitione, sic et uerè se habet in prędicatione, idest sicut qui quęrit idē de eodem, sic se habet qui prę- dicat idem de eodem, sed qui quęrit idem de eodē nihil quęrit, sic ergo sequitur demonstratiuè q qui prędicat idem de eodē nihil prędicat, & nulla est illa prędicatio: non ergo singulare per se prędica- tur de se ipso, sed si prędicatur, non nisi per acci- dens: nota hanc rationem, quia concludit contra*
psendologicos. ¶ *Amplius id quod competit ali-* 6. Ratio.
cui per definitionem suā cōpetit illi per se 1. post. 30. sed singulari competit per definitionem suā, q de subiecto non prędicetur, sed q per se existat, & per se sit subiectum, & de nullo prędicatū, nec de se, nec de alio a se, ut patet ex Ar. cap. de sub. 1. post. 4. clarius tamē 33. ergo singulare est per se subiectum per se subijcitur, & nullo modo, nec
de alio, nec de se ipso prędicatur. ¶ *Pręterea &* 7. Ratio.
subtilißimè, uerum pro rationis intelligentia est sciendum, q Ar. in 1. cęli. 14. notatum reliquit, q omnis motus aut est secundum naturā, aut pręter naturā, quorum motuum unus competit alicui corpori simplici secundum naturam, alter pręter naturā, & per accidens, ut motus sursum compe- tit igni per se, & secundū naturā 2. phy. 5. motus uerò deorsum competit igni pręter naturā, & per accidens. Alio exemplo manifestatur v. g. motus deorsum competit lapidi per se, & secundum na- turā, motus uerò sursum sibi cōpetit per accidens, & pręter naturā ueluti Arist. ait 2. ethic. cap. 1. a pari arguatur. singulare est unum corpus nume ro, & hęc duo sibi cōpetunt scilicet subijci, & prę dicari, idest esse subiectū, & esse prędicatū: opor- tet unum istorum sibi competere per se, & secun- dum naturam, aliud uerò per accidens, & prę- ter naturam, sed subijci, & esse subiectum ei com- petit per se, & secundum naturā, ut patet per suā definitionem, ergo per accidens sibi competit prę- dicari, & pręter naturam, siue de se ipso, siue de
alio: pulchra quidē ratio. ¶ *Amplius & suppono* 8. Ratio.
unum q quando sunt duo opposita, quorum alterū competit alicui subiecto per se, necesse est ut aliud competat illi per accidens v. g. calefacere, & fri- gefacere sunt duo opposita quorum unum per se competit igni. s. calefacere, alterum uerò per acci dens, ut frigefacere, sed subijci, & prędicari sunt duo opposita, quoniam subiectum dicit potentiam. prædicari dicit formam, et actum, qui actus, & po

tentia

tentia sunt differentiæ entis ualde oppositæ. 1. de
anima.6. Auer. 12. met. 8. 26. 8. met. 15. 7.
met. 31. 5. phy. 9. & 5.met. 14. sed subijci, &
esse subiectum per se competit singulari (ut mani
festum est supra) ergo per accidens sibi competit
prædicari, siue de se ipso, siue de alio. & quid cla
9. Ratio. rius contra aduersarios. ¶ Rursus Arist. 5. met.
cap.de eodẽ. 1. peribermenias, cap. 5. & 1. post.
90. declarans, ex qua parte propositionis ponitur
signum uniuersale, ut ly omnis, an ex parte subie
cti, uel prædicati, respondens ait, nõ ex parte præ-
dicati, sed ex parte subiecti, quoniam sequeretur
propositio falsa, atque incongrua, ut homo est om-
ne animal, & cum subiectum sit duplex alterum
commune, ut homo, alterum proprium, & singula
re, ut Callias, nota, q signum uniuersale non po-
nitur cum subiecto singulari, nam non ualet dice
re, omnis Callias est homo, sed ponitur cum subie
cto communi, ut omnis homo est animal, assignat
causam Arist. quia subiectum singulare non præ
dicatur, uerùm si prædicatur, nõ nisi per accidẽs,
et non per se: ueluti Arist. 1. priorum notatũ re-
liquit cap. 23. quando sic dicit [omnium, itaqs en-
tium: hæc quidem talia sunt, ut de nullo uerè uni-
uersaliter prædicẽtur, ut Cleon, & Callias] nõ ue-
rè, sed falsò, non uniuersaliter, & per se, sed par-
ticulariter, & per accidens tam de se ipso quàm
de alio, ut se ipsum declarare uidetur paulo infe-
rius, ubi dicit [quod igitur entium quædam de nul
lo apta nata sunt dici manifestum: fermè enim sensi
bilium unumquodque tale est, ut de nullo i. nec de
se ipso, nec de alio prædicetur, nisi ut accidens]
Dubitatio. quid ergo clarius? ¶ Sed quis dubitabit, nam di-
ctum est, q signum uniuersale non ponitur cum
subiecto singulari, huius oppositũ legitur in Ar.
1. cæli. 98. ubi dicit, q omnis mundus est ex pro-
pria materia, & tamen mundus non est in pluri-
bus, ut ibidem patet. i. nõ prædicatur de pluribus,
Solutio. quia est unum singulare. ¶ Soluitur, & est senten
tia Alex. ibidem referente Simplicio, q in indiui-
duis, in quibus saluatur tota natura speciei, sicut
est in sempiternis, potest poni signum uniuersali
ter distribuens, sicut est de mundo, & sole: secus
est autem de indiuiduis rerum generabilium, in ta
libus enim tota natura perpetuari non potest, nisi
per successionem: sollicitudo enim diuina propter
hoc misertа est dedit talibus uirtutẽ, ut possint per
petuari in specie 2. de anima 34. Au. 1. cæli. 98.
2. de gen. & cor. 59. qua ergo solutione habita
Dubitatio. ruit dubitatio. ¶ Sed quæret adhuc aliquis, an
signum uniuersale possit addi ex parte prædicati?
Solutio. ¶ Soluitur q aliquando sic, aliquando non. addi-
tur quotiens prædicatum sua natura remouetur a
subiecto, tunc subiecto potest addi signum uni-
uersale affirmatiuum, prædicato signum uniuersa
le negatiuum, ut omnis homo est nullus equus,
quotiens uero prædicatũ natura sua competit sub-
iecto, tunc sibi signum uniuersale affirmatiuum
addi non potest, si idem signum addatur subiecto,
quia hæc est falsa, omnis homo est omne animal,
similiter quando prædicatum non habet, nisi unũ
suppositum, potest addi signum uniuersale affir-
matiuum cum prædicato, ut Sol est omnis Sol, si
prædicatum dici potest, Luna est omnis Luna, &
similiter de alijs indiuiduis sempiternis, habes er
go candide lector quomodo, & quando, & unum
signum uniuersaliter significatiuum ponitur cum
subiecto, & cum prædicato, multa essem dicturus
circa hæc, sed breuitati studens, & in proprio lo-
co dicturus ommicto, satis ergo de quæsiti ueritа-
te, & de dubitationis solutione.

IN QVO RATIONES
soluuntur. Cap. VII.


Ver. 1. phy. 71. nec non 4. phy.
31. sermonis ueri, ac demonstratiui
ui priuilegium esse non solum ueri
tatem dicere, sed omnes quæstiones
accidentes in re soluere, notatum reliquit, & quo
niam circa quæsiti ueritatem nonnullæ in opposi
tum fuere recitatæ argumentationes operæpretiũ
esse existimamus, ut ueritas magis elucescat, ipsas
soluere, quibus quidem solutis, nulli dubium erit
singulare, neque de se ipso, neque de alio per se,
& naturaliter prędicari, sed tantum per accidẽs.
¶ Primæ rationi respondetur, declarando locum Sol. ad primã.
Auer. dicebat enim Auer. singulare esse illud,
qđ impossibile ex substantia formationis eius &c.
Dicas uerum esse, q cõpetit singulari per eius de-
finitionem, et per se quod prædicetur de uno solo,
tamen quando prædicatur de uno solo, non præ-
dicatur per se, sed per accidens. ¶ Vel dicas, q Sol. alia.
in rerum natura reperiuntur quędam singularia,
quorum non reperitur, nisi unum in quo saluatur
tota natura speciei, ut unum cælum 1. cęli. 98. una
terra, unus mundus, una Luna, & sic intelligitur
Auer. quando dicit, q singulare non prædicatur
de pluribus, sed de uno solo, utraque expositio
potest stare. ¶ Sed dices Arist. 1. post. 38. ait, q Dubitatio.
prædicatũ uniuersale potest demonstrari de subie
cto singulari, æterno, ut de Sole, & reliquis, unde
fiat ratio talis, omnis demonstratio constat ex uni-
uersalibus subiectis, & prædicatis 1. post. 62. Ar.
& Auer. in epi. log. cap. de demons. sed prędica
tum uniuersale demonstratur de subiecto singula
ri, ergo signum est, q illud singulare, de quo demõ
stratur prędicatum uniuersale, sit subiectum uni-
uersale, aliter demonstratio non fieret ex uniuer
salibus, si singulare est uniuersale, ergo singulare
prædicatur de pluribus, iuxta uniuersalis defini
tionem 1. periber. cap. 5. solutio ergo superius
assignata

assignata uidetur falsa, dicens q singularium æternorum non reperitur nisi unum, & quod peius sequitur, q singulare cū sit uniuersale, prædicatur, non solum de pluribus. sed per se, & non per accidens.

Solutio. ¶ Soluitur, & nota, q quando Arist. asserit, q prædicatum uniuersale demonstratur de singulari, ipsum singulare sumitur bifariā, uno modo singulare, ut singulare, ut habet naturā signatam particularem, alio modo, ut habet in se naturam uniuersalem, unde dicas, q cum demonstratur prędicatū uniuersale de singulari non inquantum singulare est, sed inquantum habet in se naturā uniuersalē, de qua natura uniuersali existente in illo singulari demōstratur prædicatū uniuersale, quod innuit Auer. 1. post. 40. his uerbis intendit ostendere, q demonstratio de talibus indiuiduis non instituatur de indiuiduo, sed de natura, quæ est in hoc indiuiduo, quod quidē Arist. confirmans 7. met. 55. sic retulit [nec de indiuiduis sempiternis, ut indiuidua sunt esse definitionem: uelu ti est Sol, & Luna, neque scientia per demon. haberi potest] quid clarius?

Dubitatio. ¶ Sed iterū dubitabis dicens, potest ne prædicatum uniuersale demonstrari de subiecto singulari corruptibili.

Solutio. ¶ Pro solutione est sciendum, q singulare corruptibile bifariā consideratur. Vno modo, ut singulare est, & sub ratione particulari, ut dicit mihi indiuiduum significatum loco, & tempore hic, & nunc, ut Callias. Alio modo sub ratione uniuersali, non ut Callias, sed ut homo est, quo stante dicendum, q de singulari potest demonstrari prædicatum uniuersale non sub ratione singulari, sed sub ratione uniuersali, ut risibile potest demonstrari de sorte non ut sortes est, sed ut homo est, quam solutionē Ar. reliquit 11. met. cap. 1. 7. met. 35. 53. & Au. 2. post. 94. & 1. post. 167. unde potes defendere, singulare de pluribus prædicari.

Sol. ad 2. rationē principalem. ¶ Ad 2. R. quando dicitur; illa, quæ sunt per se, de subiecto per se, & naturaliter prædicātur, hęc maior limitatur hoc modo, illa, quæ sunt per se in primo, & secundo modo dicendi, per se, prędicātur per se, & naturaliter, modo singularia sunt per se, idest existunt per se, non prędicantur per se teste Ar. 1. post. 33. quod existere per se differt a prędicari per se, hinc tertius modus dicendi per se, in quo reponuntur singularia existentia per se, differt a primo, & secūdo modis, in quibus reponuntur ea, quę prędicātur per se.

Sol. ad 3. ¶ Soluitur 3. R. glossando maiorem, quando dicitur; illa, quę sunt secundum q ipsum prędicantur uniuersaliter, primo, & per se, dicas q intelligitur; sic illa, quę sunt secundum q ipsum in primo, & secundo modis dicendi per se, ut definitio, & differentia, et essentialia accidentia, quæ omnia sunt prędicata per se, et primò, et uniuersaliter: modo singularia sunt secundum q ipsum, tamen non prędicantur, sed existunt secundum q ipsum, & sic nō tenet ratio.

Sol. ad 4. ¶ Soluitur 4. R. negando maiorē, quando dicitur; illa, quę intenduntur per demon. ingrediūtur demon. quoniam & si singularia intendantur per demon. tamē non ingrediuntur ipsam, quia in tantum singularia intenduntur per demon. in quantū sunt subiecta ipsius uniuersalis, quod uniuersale ingreditur demon. teste Au. 1. phy. 5. & 1. post. 134. ubi asserit; uniuersale est principium sciētiæ demonstratiuę, sed singulare non est principium scientię demonstratiuæ, sed est principium acquisitionis ipsius uniuersalis, quod est principium scientiæ demon. intelligitur ergo, quod singulare intenditur per demon. ut est subiectū primū ipsius uniuersalis, quod uniuersale ingreditur demon. non autē, ut est quid actu ingrrdiens demon. neq; syllogismū.

Sol. ad 5. ¶ Soluitur 5. R. quando dicitur, q definitio, & definitū sunt idē. Pro solutione notandū, q idem 1. top. cap. de eodē, ac 5. met. & in epit. met. tractatu 1. cap. de eodē, sumitur multis modis, & primo modo idē genere, ut homo, & equus in animali, alio modo idē specie, ut plato, & Socrates in humanitate. Vnde dicebat Porphyrius in cap. de specie, participatione speciei, plures homines sunt unus homo, alio modo idē numero, ut Callias, alio modo idem ratione, ut Franciscus, & Marius, qui conueniunt in definitione, alio modo idē subiecto, ut color, odor, & sapor in pomo, hæc tria sunt eadem subiecto, quia repoūtur in eodem subiecto, ut in pomo: alio modo idem accidente, ut camphora, cignus, lac sunt idē in albedine, alio modo idē secundum prędicationem, quibus sic stantibus, dicas, q definitio, & definitum non sunt idem numero, quia tunc sequeretur argumentum, sed sunt idē subiectō 1. phy. 5. Auer. uel sunt idē secundum prædicationem 7. met. 40. Auer. & cum sint idē secundum prædicationem definitio per se, & naturaliter prędicatur de diffinito, ut homo est animal rationale.

Sol. ad 6. ¶ Soluitur 6. R. limitando maiorē, quādo dicitur; id, quod recipit definitionem alicuius, est illud, addēdo hanc cōditionem. s. primò, et per se: modo singulare, licet recipiat definitionē generis, non per hoc est genus, quia non recipit illam primò, & per se, & sic sequitur, q cum non sit genus, neq; p se, neq; naturaliter prædicatur, sed per accidēs, & innaturaliter.

Sol. ad 7. Rationem. ¶ Soluitur 7. R. negando minorem, & ad eius probationē dicas, q substantia prima est duplex, quædā simplex, quędam composita, quando dicit Arist. q forma est substantia prima, intelligitur, q est substantia prima simplex, nō composita ex materia, & forma, ueluti est singulare ipsum, ut Callias, & sic dubitatio non concludit.

Sol. ad 8. ¶ Soluitur 8. R. eadem solutione qua fuit soluta 5. ratio in ordine.

Sol. ad 9. ¶ Soluitur 9. R. & nota, q quando ait Arist. q hæc propositio, bonum est bonum, est uera, per se, ly per se

sum itur

sumitur dupliciter, uno modo per se, idest secundum se, idest natura sua, alio modo per se, idest quando prædicatum ponitur in definitione subiecti, uel e contra, dicas ergo, quod hæc propositio nõ est per se secundo modo, sed est per se primo modo, & sic ruit dubitatio.

Alia Sol. ¶ Vel aliter, & subtilius, uerum nota, quod in hac propositione, bonum est bonum, ly bonum, quod est subiectum, intelligitur hoc modo, idest res in qua est bonitas est bona, sicuti Auer. 1. post. 149. in epist. de prim. præd. ubi dixit, album est lignũ, exponit ibi Auer. per ly albũ, i. res in qua adest albedo, & sic ly, bonum, quod est subiectum, accipitur pro re, & pro substantia, & ly bonum, quod prædicatur, sumitur pro accidente, & sic hæc propositio habet prædicatum, quod est accidens, quod prædicatur de subiecto, ut de substantia.

Replica. ¶ Sed replicabis, & subtilissimo quidẽ, dicens, si album, quod est prædicatum est accidens, & album quod est subiectum est substantia, ergo sequeretur, quod accidens cõmune per se prædicaretur de subiecto, quod est falsissimum, & contra Arist. 1. post. 52. nam dicit supra Arist. quod hæc propositio, bonum est bonum, est uera per se. ¶ Nota igitur subtilis lector solutionis subtilitatem, pro qua debes scire, quod ly per se, apud Auer. legitur duobus modis, uno modo, quando prædicatum sumitur in definitione subiecti, uel ecõtra 1. post. 30. 31. 38. 44. 151. alio modo per se, seu essentialiter pro naturaliter teste Auer. 1. post. 149. 151. dicas ergo, quod hæc propositio, & quelibet alia, bonum est bonum, homo est ambulans est per se, tamen non per se, cuius prædicatũ accipiatur in definitione subiecti, uel econtra, sed est per se, idest naturaliter. Vnde subtilis posteriorista defendas hanc conclusionem,

Pulchra conclusio defendenda, & nota Lec. omnia accidentia, tam essentialia, quàm accidentalia, propria, & cõmunia per se, & per accidens sint quecunque accidentia, omnia dico prædicantur per se essentialiter de subiecto, intelligendo per se, & essentialiter, idest naturaliter.

Secunda conclusio defendenda. Secunda conclusio defendenda est talis, accidentia cõmunia de subiecto nullo pacto essentialiter, & per se prædicantur, dico nõ prædicantur per se, essentialiter, idest propriè, & conuertibiliter, & hæc pauci, quos Deus amat Iuppiter, animaduertunt.

Sol. ad 10. Rationem. ¶ Rationi 10. respõdetur sicut fuit responsum ad nonam in ordine, ideo illuc recurre, si placet.

Sol. ad 11. Rationem. ¶ Ad 11. quæ consistit in authoritate Boethi, quæ est talis, nulla uerior propositio, quàm illa in qua idem prædicatur de se ipso, ut Viuolus est Viuolus, est dicendum ueluti nonnulli exponunt, quod ly prædicatur, sumitur pro enuntiatur, potius dicens enuntiationem, quàm prædicationem, ut dicendo nulla uerior propositio, quam illa in qua idẽ prædicatur, idest enuntiatur de se ipso.

Alia Sol. ¶ Vel aliter dicendum, quod penes aliud attenditur ueritas propositionis, & penes aliud naturalitas prædicationis, nam Arist. in cap. de sub. asserit, quod ab eo, quod res est, uel non est, redditur oratio uera, aut falsa, unde dicimus, quod ueritas propositionis affirmatiuæ attenditur penes identitatem prædicati ad subiectum, & quia uera, & maxima identitas est eiusdem ad se ipsum, propter hoc dixit Boethus, quod uerissima est propositio, in qua idem de se ipso prædicatur, tamen ista prædicatio non est naturalis, quia idem respectu sui met non potest habere secundum naturam respectum materiæ ad formam, & recepti, & receptibilis, quia ista sunt primo diuersa secundum naturam, & in fine remotionis, ideo uult Auer. 1. priorum cap. 7. quod sit in fine abhominationis, quando idem de se ipso prædicatur, & ideo Arist. animaduertens ad hoc, dixit in cap. de sub. quod a prima substantia nulla est prædicatio, scilicet per se, & naturalis, uerum autẽ indirectè, & per accidens contingat, ut aliquo modo prædicari possit, hoc est, quod non curat ars, neque scientia, quia ista sunt extranea a prima scientiæ intentione, 1. priorum cap. de inuentione medij, sic singulare, & accidens prædicatur solum, quibus ergo stantibus resolutè dicimus, quod aliud est dicere propositionẽ ueram esse, & aliud est dicere propositionẽ habere prædicationem naturalem, unde quando dicitur sortes est sortes, hæc propositio est uera, tamen non est naturalis.

Dubitatio. ¶ Sed licet quæ dicta sunt sint uera, adhuc tamẽ dices ex Ar. 5. met. 22. ubi asserit, quod hæc propositio s. homo est homo, secundũ se, unde fiat ratio, id quod prædicatur est secũdum se de subiecto, illud per se prædicatur de illo, & naturaliter, at homo idẽ prædicatur de homine, eodẽ secundũ se, ergo idem de eodẽ per se, & naturaliter prædicatur, ergo solutio superius assignata nõ ualet.

Solutio. ¶ Soluitur sicut diximus in alijs, quod aliud est dicere, homo secundum se est homo, & aliud est dicere homo per se est homo, nulli dubium est, quod homo secundum se, idest natura sua est homo, sed non per se, in primo modo, uel in secũdo modo dicendi per se, qui modi continent prædicata per se, quæ prædicata omnia sunt diuersa a subiecto, hinc

Contra Scotum. ualeat Scotizantium opinio, qui ponunt, quod quando idem prædicatur de se ipso, est prædicatũ in primo modo dicendi per se, cum nullibi de tali prædicatione per se dicta a Scoto reperitur. Ar. uerba fecisse discurrendo per totam posterioristicã prouinciam, unde potius talis propositio, in qua idem prædicatur de se ipso, est identica, quàm per se in primo modo.

Replica. ¶ Contra solutionem arguatur sic, dictum fuit supra, quod hæc propositio, homo est homo, non est per se, & naturaliter, sed est natura sua talis, in hac solutione uideris affirmare id quod negas, nam si dicis, quod non est naturaliter, sed est natura sua talis, sed idem est dicere, id quod est naturaliter, & natura sua, ut sensus ipse dictat, ergo solutio est nulla, et argumentum stat in suo uigore.

Solutio.

gore. ¶ Soluitur negãdo, ꝙ idẽ est dicere, aliquod natura sua esse aliquod, ut homo natura sua est homo, & aliquod naturaliter prędicari de aliquo, nam prædicatum naturaliter de subiecto non est idem de se ipso, sed est quid diuersum a subiecto, ut homo est risibilis, ex Arist. in ante prædicam. cap. 3. 1. periher. cap. de uerbo. 1. priorum. cap. 1. sed id, quod natura sua est tale, non est diuersum a subiecto, ut homo est homo. & sic argumentum non tenet.

Sol. propria.

¶ Altius perscrutantes dicemus alio, & meliori modo ad authoritatem Boethi, uerum pro intelligentia nota, ꝙ Ar. 6. top. in quarto loco superfluitatis ponit differẽtiam inter dici, & prædicari, in illis uerbis, quando dicit [non est autem bis dicere idem nomen, aliquid absurdum, sed frequenter de aliquo idem prædicari] per quę uerba uult Arist. ꝙ non inconuenit in definitione idem nomen bis dicere, sed absurdum est idem nomen bis prædicare de aliquo, ex quo differt dici, a prędicari, quia dici potest aliquod de se, & de omni includente se, homo enim dicitur de homine, quia est uera hæc propositio, homo est homo, non tamen potest idẽ de se ipso prædicari, quoniam prædicatum est esse prædicatum, prædicatum aut omne aut genus, aut accidens, aut proprium, aut definitio, teste Arist. 1. top. cap. 3. si igitur, idẽ posset de se ipso prędicari, sequeretur, ꝙ idẽ sibi ipsi esset accidẽs, aut genus, aut propriũ, aut definitio, quare differt dici a prædicari, sicut genus a specie, quoniam omne quod prædicatur dicitur, & non econtra, quibus ergo stantibus, dicimus, ꝙ quando ait Boethus, nulla uerior propositio, quàm illa, in qua idem dicitur de se ipso, per ly dicitur, non intelligit prædicatur, propter causam supra assignatam; & hæc uidetur esse uera mens Boethi.

Replica:

¶ Sed dices contra, nam tunc hæc solutio esset uera, quando inter dici, & prædicari esset differentia, sed non reperitur differentia inter dici, & prædicari, ergo solutio est nulla, & probatur, nam Ar. in ante præd. cap. 2. 3. 1. post. 4. 33. & sexcentis in locis accipit dici pro prædicari.

Solutio.

¶ Pulchra quidem replica, & ualde ad propositum, tamen scias, ꝙ mos est Ar. non semper uti illo uerbo, dici, pro prædicari, sed aliquãdo, nã multotiens sumit ly dici, pro nominari, ut in cap. de substantia, dixit; substãtia est quæ proprie, principaliter, & maximè dicitur, idest nominatur, ubi si sumpsisset ly dicitur, pro prędicatur, tunc dixisset quid cõtra se ipsum. s. ꝙ substantia prima propriè, principaliter & maximè prædicaretur. ex hoc ergo soluatur replica, & restat firma nostra solutio, ꝙ maxime est differẽtia inter dici, & prædicari, & hanc profecto solutionẽ pauci animaduertunt.

Dub propria.

¶ Sed quoniam determinatũ est singulare non prædicari per se, sed per accidens, & ne aliquid intactum remaneat, exstat quidẽ pulchra dubitatio, quę est talis, probans, singulare nec de se ipso, nec de alio posse prędicari per accidens. Auer. 1. post. 33. in ante præd. cap. 2. ait, ꝙ singulare est illud, quod non prędicatur de aliqua re prędicatione notificante eius essentiam, neq; prędicatione non notificante eius essentiam, unde fiat ratio difficilis, id, quod non prędicatur de aliquo prędicatione notificante eius essentiam, neq; prędicatione non notificante eius essentiam non prędicatur neque per se, neque per accidens, sed singulare (ut dictum) non prędicatur de aliquo prędicatione notificante eius essentiam, neque prędicatione non notificante eius essentiam, ergo non prędicatur per se, neque per accidens. solutio ergo est fal[s]issima.

Solutio.

¶ Pro solutione nota, ꝙ per accidens est duplex; quodam reducibile ad per se, quodam nõ reducibile ad per se, dicas ergo, ꝙ singulare nõ prędicatur per accidens reducibile ad per se, sed prędicatur per accidens non reducibile ad per se, unde defendas duas conclusiones, prima est talis, singulare prędicatur per accidẽs: secunda, singulare non prędicatur per accidens.

Defenduntur duæ cõclusiones.

Dubitatio.

¶ Dubitant latini probantes, singulare de pluribus prędicari, dicẽtes, hic qui uenit est Callias, quod confirmamus ex Arist. 1. priorũ cap. 23. immo dicunt, ꝙ multi homines eodem nomine uocantur, ut Vinolus est Franciscus, Vicomercatus est Frãciscus, Bursana est Frãciscus, Lombardus est Frãciscus, ergo singulare de multis prædicatur.

Solutio.

¶ Soluitur, ꝙ prædicatio est duplex, quædam secundum nomen, quædam secundum rem, dicas ꝙ singulare prædicatur de pluribus secundũ nomẽ, non secundum rem, uel impropriè, non autẽ propriè, uel secundum uocem, non secundum significatum, uel prædicatur æquiuocè, non uniuocè, uel inordinariè, non ordinariè, uel de modo inconsueto, nõ de modo consueto, uel præter cursum naturalem, non secundum cursum naturalem, & ut omnia unico uerbo amplectamur, dicamus cũ Ar. 1. priorum cap. 23. prædicatur secũdum accidens, innaturaliter, non per se, & naturaliter.

Replica.

¶ Sed replicabis probãs, singulare naturaliter de subiecto prædicari sic, accidens naturaliter de subiecto prędicatur 1. post. 149. 151. 7. met. 59. sed singulare substantię est accidẽns, ergo singulare naturaliter prædicatur: minor probatur ex Arist. 1. post. 32. ubi ait [quęcunque neutro modo insunt accidentia sunt] .i. illa, quæ nõ sunt in primo, nec in secundo modo dicendi per se, sunt accidentia, sed singularia neutro modo insunt, quia non genus, non differentia, non definitio, non accidentia essentialia, ergo singularia sunt accidentia communia.

Solutio.

¶ Soluitur exponendo tex. Arist. hoc modo, quando dicit; quæcunque, idest prędicata, quæ prædicantur de subiecto, & non sunt in primo, uel in secundo modo dicendi per se

sunt

sunt accidentia, idest sunt prædicata per accidēs, ut sunt accidentia communia, & singularia ipsa, & alia: ex cuius tex. interpretatione iam patet replicam, licet sit subtilis, esse nullius momenti.

Dubitatio. ¶ *Sed dices, quæ differunt materia sunt accidentia 1. post. 31. in epi. log. cap. de demon. sed singularia substantiæ differunt materia ex libro destruct. disp. 1. in sol. 7. dubij Au. ubi asserit sic, immò indiuidua abinuicem distinguuntur materia, & 7. met. 28. materia diuersa sunt eadem specie 1. met. 40. & Alex. in paraphrasi de anima cap. de intellectu in habitu, ac dilucidissimus Them. 1. de anima. cap. 24. habet, quod omnia, quæ eadem specie sunt, ut sunt singularia, participatione materiæ distinguuntur, ergo clare sumitur singularia esse accidentia, & per consequens naturaliter prædicari.*

Solutio. ¶ *Soluitur, uerum nota, quod differre aliquod ab aliquo per materiam bifariam legitur apud Arist. uno pacto essentialiter, ut risibile differt ab innibili per hominem, tanquam per subiectum. 1. post. 31. alio modo accidentaliter, idest per accidentia cōmunia insequētia materiā, unde dicas, quod illa sunt accidentia, quæ essentialiter differunt per materiam, non autem accidentaliter, ut sunt singularia ipsa, quæ differunt adinuicem per rectitudinem, & curuitatem, albedinem, nigredinem, egritudinem, & sanitatem, & alia huiusmodi materiam insequentia: & sic non tenet ratio.*

Replica. ¶ *Sed dices 10. met. 25. materia non facit differētiam, ergo singularia non differunt per materiam neque essentialiter, neque accidentaliter.* ¶ *Soluitur, supponendo unum, quod materia est duplex, quædam prima, quædam secūda Au. 8. met. 11. quo stante dicas, quod materia prima est illa, quæ non facit differentiam, quia in ipsa conueniunt omnia hæc naturalia 12. met. 14. & 1. met. 17. in fundamento naturæ nihil est distinctum, tamen materia secunda facit differētiam, & de hac materia non tenet argumentum.*

Dubitatio. ¶ *Vltimo dubitatur probando singulare propriè, principaliter, & maximè prædicari, & nō per accidens; supponendo unum, quod Arist. non facit differentiam inter dici, & prædicari in ante prædicam. & in prædicam. & sexcētis in locis, unde arguatur sic; substantia propriè, principaliter, & maximè dicitur in cap. de substantia, Arist. ergo substantia propriè, & principaliter, & maximè prædicatur, ergo non per accidens (ut fuit dictum.)*

Solutio. ¶ *Soluitur, negando præsuppositum, quod est falsissimum, nā differt dici a prædicari, & Arist. non semper accipit ly dicitur, pro prædicatur, sed aliquando accipit pro nominatur, appellatur, nam quando dixit, substantia, quæ propriè, principaliter, & maximè dicitur, ly dicitur, sumitur i. appellatur, nominatur, non prædicatur, & sic dubitatio soluitur: restat ergo singulare per accidens, & indirectè prædicari de se ipso, uel de alio subiecto: & non per se.*


Dubitatio. ¶ *Dubitat quidam pedagogus dicens, duæ negationes affirmant, sed Arist. in ante prædic. ait cap. 2. alia uerò neque in subiecto sunt, neque de subiecto aliquo dicuntur, ut quidam homo, & quidā equus, ergo uidetur per has duas negationes, quod substantia prima prædicatur.*

Solutio. ¶ *Soluit, ut pedagogus re, & uultu, & dicit, quod apud Arist. duæ negationes nō affirmationis, sed negationis uim obtinere uidētur.*

Al. & melius solutio. ¶ *Soluitur, & peripateticè, quod duæ negationes quando cadunt super unum prædicatum, tunc affirmationis uim obtinere clarè uidentur, ut homo non non animal est, sed quando duæ negationes cadunt super diuersa prædicata, tunc nulli dubium est, quod significant expressam negationem, ut Porphyrius fecisse manifestè uidetur in cap. de differētia, quādo dixit; genus neq; nihil horum est, idest, genus, quod est animal, neque est rationale, neq; mortale: a pari soluitur locus Ar. quando dicit, neque in subiecto sunt, neque de subiecto prædicantur, illa negatio, neque bis posita, cadit super diuersa, & sic non affirmat, sed maximopere negat dicens, quod substantia prima nō est in subiecto, neque prædicatur de subiecto, hæc dicta satis sint circa huiusmodi quæsitum, quod sanè a nullo unquàm expositorum ita exactè, elaboratè pertractatum, sicut ipse Viuolus in eius dilucidatione elaboraui. Quæ ex peripateticorum placitis in medium produximus amplissime Antistes, tibi recognoscenda mittimus, quæ eo cōplecteris animo, quo ego tibi dedico. Vale quàm felicissimè.*

LAVS DEO.

Imprimatur. *Petrus Dusina Vic. gen. Neap.*



Io. Franciscus Lombardus.